Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b2247951x

1.

COLLECTIO DISSERTATIONUM MEDICARUM MARBURGENSIUM

FASCICULUS I.

ROYAL·COLLEGE·OF·SURGEONS·OF·ENGLAND.

MARBURGI

IN OFFICINA NOUA LIBRARIA ACADEMIAE.

1791.

Dr. Ern. Guil. Brenner

Commentatio

de

Fallacia Signorum Graviditatis.

Marburgi Cattorum

typis novae typograph. academ.

1791.

— — *Laus magna tibi tribuetur in uno*
Corpore ſervato reſtituiſſe duos.

Tibullus Lib. IV.

VIRO

ILLUSTRI, CELEBERRIMO

ERNESTO GODOFREDO BALDINGER,

PHILOSOPH. ET MEDIC. DOCTORI

SERENISS. HASS. LANDGRAV. CONSIL. INTIM.

ARCHIATRO FACULTAT. MED. MARB.

PROFESS. PRIMAR.

PRAECEPTORI SUO OMNI PIETATIS

STUDIO PROSEQUENDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI DEVINCTISSIMI TESTIMONIUM,

SUBMISSE CONSECRAT

SE SUAQUE OMNIA EA, QUA PAR EST,

REVERENTIA

commendat

TANTO NOMINI

addictiſſimus

Auctor.

THESES.

1.

Artis obſtetriciae baſis conſiſtit, in diſtincta cognitione pelvis, relationis foetus ad pelvim, in exploratione obſtetricia, et in aptis ad foetum extricandum encheireſibus.

2.

Nullum certum conceptionis ſignum dari poteſt, et nulla primis temporibus indubitata graviditatis Diagnoſis.

3.

Inſtrumenta in arte obſtetricia, quo ſimpliciora, eo meliora.

4.

Brachium forcipis Levret vices vectigis Roonbuyſ optime ſupplet.

5.

Adſtringentia interne exhibita, in haemorrhagia uteri vix quidquam praeſtant.

6.

Synchondrotomia a quibusdam neotericis laudata, non tanti uſus eſt, uti eius fautores autumant. In pelvi à naturali dimenſione aberrante fere ſemper vitium in diametro coniugata occurrit, haec autem oſſibus pelvis et ſumma vi deductis, vix tres lineas increſcit, quod obſtaculum longe facilius et tutius forcipe aufertur. Si anguſtior coniugata, ſectio ſymphiſis

non

non ſufficit, ſed caeſarea inſtituenda. Unicus ſolummodo datur caſus, in quo admittenda, id eſt, ſi caput inter protuberantias oſſium Iſchii ita inclavatum, vt ne forceps quidem ob hanc anguſtiam applicari poſſit.

7.

Doctrina Levret et Saxtorph, faciem foetus in introitu pelvis os ſacrum reſpicere falſa. Lateralis eſt capitis poſitio in ora pelvis ſuperiore, et variat hic ſitus pro varia regione pelvis, quam in partu permeat, ita ut ſemper maiores diametri capitis maximis pelvis, minores vero, minimis eiusdem Cavi reſpondeant.

8.

Vix ullum datur certum ſignum partus praegreſſi poſt aliquot ſeptimanas elapſas; nec

ruptum

ruptum frenulum, nec os vteri molle et hians, nec cicatrices in margine orificii vteri ſufficiunt.

9.

Judex criminalis et juriſconſultus neceſſario medicinae forenſis cognitionem, haud mediocrem, habere debent.

10.

Quia ſigna foetus mortui, ſi vtero adhuc incluſus eſt, quoad maximam partem ambigua ſunt, ideo cautiſſime cum embryotomia mercandum.

11.

Signa amiſſae virginitatis omnia ſunt fallacia.

12.

Non omne ferrum ad vſum medicum conducit.

§. 1.

§. 1.

Corporis animalis vires determinata naturali gaudent proportione; tempora quorum intervallo vires effectum edunt, non niſi experientia, fido duce computanda ſunt, ex qua patet naturali ac frequentiori caſu vterum humanum per quadraginta ſeptimanas gradatim, creſcente ovo extendi, tunc vero foetum in lucem edi.

§. 2.

Solummodo regulae exceptiones fiunt. Peculiari ac à naturali ſtatu abhorrente corporis ac vitae generis conſtitutione e. c. feminam vehemens quarto graviditatis menſe invadit terror,

ror, quo fit, vt abortum procreet, iterum gravida fit mulier, eodem verum menſe ſymptomata apparent, abortum protendentia, ac remediis aptis omiſſis ſecunda vice abortitur. Mulier et tertia vice impraegnatur, abortusque hac menſe iterum ſequitur.

§. 3.

Quamvis vero terminus partus naturalis certiſſime in quadrageſimam cadit ſeptimanam, ſaepius tamen fieri non poteſt, vt accurate ſeptimanam, diem, vel horam inſtantis partus determines, quippe quae ſit relatio virium, cauſam exceptionis continentium erga naturales, et quo gradu hae minutae, impeditae et auctae ſint, haud facile diiudicaveris.

§. 4.

Ob has virium diverſas modificationes in graviditate agentes, quarum accurate modus conſtitui nequit, multis in caſibus, quid ad vterum propenſius ſit, diiudicari debet.

§. 5.

Nullum graviditatis ſymptoma, nulla mutatio, quae ſub ipſam graviditatem in aliqua corporis parte fit, eodem temporis ſpatio contingunt in omnibus mulierculis multum quoad corporis diſpoſitionem ac morum discrepantiam diverſis, ſed maturius, ſeriusve; ſequitur itaque, argumenta, quorum vi tempus determinari poſſit, tantummodo eſſe veriſimilia.

§. 6.

Quodcumque latum de temporis Momento, quo partus eventurus eſt, iudicium, ex ſupra memoratis argumentis ad ſummum veroſimillimum; valet id: quo propius vteri gravidi mutationes naturae accedant et obſerventur, eo certius terminum partus determinari poſſe, et ſic vice verſa.

§. 7.

Optima, qua optime ad veriſimilitudinis gradum ſummum pervenire poſſis, methodus, ea eſt, vt ſingula gravidae ſigna eorumque vires, ex parte experientiae, ex parte vero rationis ope, computes, deinde ſingulorum ſignorum, quae computaſti, addas reſultata, tum demum ſignorum numerum arithmetico dividas modo. His rite peractis

peractis numerus proportionis medius inveni-tur, ex quo veroſimillime partus eventuri tibi conſtabit tempus.

§. 8.

Femina, quae concepit, novem menſes vterum gerere ſolet, poſt quos partu onus deponit. Cl. STEIN *a)* tempus quadraginta heb-domadum eſſe, refert. De hoc maiori mino-rive ſentiendum quid ſit, infra adhuc recenſe-bitur. Noſſe autem intereſt, quaenam geſta-tionis ſigna ſint, et ſi graviditas extra dubium poſita, quaeritur quantum temporis aeſtimari debeat, ex quo geſtari coepit femina.

§. 9.

a) vid. ei. *theoret. Anleitung zur Geburtshülfe* §. 200 - 201.

§. 9.

Signa graviditatis alia ſunt *probabilia*, alia *certa*. Probabilia, rationalia, incerta, communia, non ſemper haec adſunt, nec praeſentia poſt coitum, indubitandam graviditatem denotant *b*).

§. 10.

---

b) J. C. Harres praeſ. Kaltschmidt diſſ. de ſignis graviditatis certis. Jenae 1752. J. F. G. Dietz reſp. Roederer diſſ. de temporum in graviditate et partu aeſtimatione. Goett. 1757. Roederer elementa artis obſtet. §. 136. ſeq. G. W. Stein, diſſ. de ſignorum graviditatis aeſtimatione, Goett. 1760. G. G. Rockstroh diſſ. de ſignis verae graviditatis ſaepe dubiis. Lipſiae 1781. J. C. Schimpfer diſſ. de ſignis graviditatis verae et cautelis exinde cognoſcibilibus. Baſileae 1750. H. J. P. Langguth diſſ. de ſignis virginitatis et graviditatis. Lipſiae 1777. J. W. Wedel diſſ. de notis Gravidarum. Jenae 1709.

§. 10.

Duobus ſignis propriam dignoſcunt mulieres graviditatem Imo *Menſium defectu*, IIdo *Infantis primo motu*. Haec in expertis et bene obſervantibus feminis interdum vera, et quoad tempus graviditatis, certa evadunt ſigna. Inexpertas autem, vel ſenſus hebetudine praeditas, ſaepiſſime fallunt. Medicus igitur, qui unice relatione hoc in ſtadio uti poteſt; ſemper incertus ſit, neceſſe eſt.

§. 11.

Deinde mulieres ſunt, quae ſub coitu, quem conceptio ſequitur, diſtinctum ſenſum volup-

1709. F. S. Schuirmann diſſ. de ſignis vitae et mortis in foetu. Coloniae 1779. F. W. Voigtel fragmenta ſemiologiae obſtetriciae, Halae 1790.

voluptatis cuiusdam percipere dicunt, coitu facto ſemper definientem, qui certus ipſis futurae graviditatis index ſit. Eiusmodi ſignum probabile habetur, peculiaris quidam voluptatis ſenſus in vtroque ſexu, ad exſtaſin accedens, qui in feminis maior eſſe ſolet, atque genitalibus turgeſcentibus, vterique cum partibus annexis rigore, quin animo lingui quaedam feminae ſolent. In viro autem gratior perceptio, vim ſeminis foecundi maiorem innuit. Fallere tamen hoc ſignum vti reliqua, poteſt, ob coniugum ignorantiam et quarumdam feminarum ſenſationis hebetudinem: quin ſine facta conceptione iſta feminae quandoque ſentiunt.

§. 12.

Alia probabilia ſigna deſumuntur ex ſanitatis poſt coitum facta alteratione, eiusmodi ſigna,

ſigna, etſi multa a medicis referuntur, maximam tamen partem minus tuta, vel omni exceptione ſaltim haud maiora ſunt. Eo referunt ſemen retentum, incredibilem voluptatis ſenſum in vtroque ſexu *c*) dolorem in femina, et quaſi convulſionem circa umbilicum inflationem et calorem vagum abdominis, qui è veſtigio coitum ſequitur, horror et frigus, anxietas et moeror, denique orificium vtcunque clauſum. Poſt haec oriuntur nauſea, Vomituritio, ardor ventriculi, appetitus aut nullus, aut depravatus l. malacia, facilis animi excandeſcentia, triſtitia, virique faſtidium, inſolita artuum laſſitudo et gravitas; pigritia, crebra dormiendi cupiditas, animique deliquia, oculi pro-

c) A. v. Haller elementa phyſiol. T. VII. p. 76.

profundi, retracti, lividi, languidi, illacrymantes Puſtularum faciei eruptio; menſtruorum ſuppreſſio, indeque oriunda ſanguinis redundantia, dolor capitis dentium et lumborum perinſignis, vertigo, Coloris naturalis in ſublividum mutatio, mammarum intumeſcentia, inflatio et calor lividus, ſtriatus lymphae lacteae fluor. Orificium deſcendens iterumque aſcendens, denique poſt tertium menſem ventris tumor, infantis motus, praeceteris orificii vterini tactio et rima eius per ſe transverſa, iam circularis *d*).

§. 13.

---

d) Dietz Praeſide Roederer l. c. Stein l. c. §. 131. ſeq. Roederer elem. art. obſt. §. 143. Gruner Semiol. phyſ. et pathol. gener. pag. 429. ſeq.

§. 13.

Signa certa propria, phyſica, pathognomonica dicuntur quae omnibus in feminis indubitandae graviditatis indicia ſunt, prouti Embryonis motus, et denique capitis perceptio digiti explorantis ope. Inquirendum ergo eſt; num haecce ſigna graviditatis ſic dicta pathognomonica in qualibet gravida certo atque determinato temporis graviditatis ſpatio, apparere neceſſe ſit, num vero è contrario in hoc vel illo ſubiecto mutationes, à ſtatu naturali abhorrentes, dentur?

§. 14.

Conceptione facta, ſequentia naſcuntur ſymptomata, graviditatem denotantia.

I. Novus Stimulus.

II. Ceſſatio Menſium.

III. Incrementum vteri.

IV. Mammarum intumeſcentia.

V. Motus Embryonis.

VI. Prominentia Umbilici.

VII. Portio vaginalis.

VIII. Pila.

IX. Orificium vteri.

§. 15.

I. Novus ſtimulus.

Interim tamen feminae reperiuntur, quae à novo iſto ſtimulo minime afficiuntur, nec prius corporis mutationes ſentiunt, quam Menſtrua ceſſant. Aliae vero ſtatim primis à conceptione diebus, adeo à nova iſta muta-

tione

tione patiuntur, vt miſerrime aegrotent. Quamlibet et aliae cauſae adeſſe poſſunt, quae eosdem producere valent morbos: vtque adeo ex his morboſis affectionibus deſumta ſigna non niſi probabilia ſint, atque in illis ſolis certitudinem pariant, quae ex crebro repetita obſervatione didicerunt; quam quidem nonnullae ita callent, vt ex quibusvis levioribus quandoque, quin rarioribus, mutationibus certa conceptionis factae ſigna petere norint.

Quae vero non gravidae hyſtericae ſolent eſſe atque valetudine infirma laborare, conceptione facta, ſaepiſſime melius ſeſe habent. Ita pallentes feminae à conceptione rubent, et viciſſim rubentes pallent.

§. 17.

II. Ceſſatio Menſium.

Menſtruorum periodi fallaciis non carent. Dum ſua periodo lunae tributum ſolvitur, cogitare de facta conceptione feminae non ſolent ſed initium eo referunt, quo vterus, alias expurgandus ſanguine clauſus, ſiccusque manet. Concipere autem feminas non ipſa, menſtrui fluxus, unus ceſſantis, periodo ſed vacuo et binis periodis interpoſito ſpatio, quod tres ſaltem hebdomades aequat, ultro liquet: quare unam alteramve quin tres quandoque Hebdomades addere iſti calculo debemus, verum terminum determinaturi. Saepius porro evenire ſolet, vt, conceperit licet foemina, ſanguinis tamen purgatio aliquoties recurrat. Ita praematurus partus habebitur, qui ſuam explevit periodum. Lex eſt natura conformis, vt una cir-

citer

citer atque dimidia hebdomade poſt foecundum coitum, vnica adhuc ſubſequatur menſtruatio, initium graviditatis denotans. Sequentibus dignoſcitur characteribus:

a. Plerumque menſtruatio citius apparet, quam illam femina exſpectabat *e*).

b. Semper fere copioſior eſt.

Ab ea ad partum usque 39. ad 40 hebdomades praetereunt.

§. 18.

In ſtatu praeternaturaliter aberrante, calculo errores poſſumus committere; defectus ergo menſium ſolus, nobis haud tuto certam ſubſequentis partus periodum indicat, quum e contrario feminae reperiantur, quae non niſi gravidae

e) Stein l. c. §. 214.

vidae, menſtrua ſua periodice habeant, eaque in Plethoricis per univerſum geſtationis tempus cum euphoria fluere poſſe, ita tamen et ſenſim copia diminuantur *f*), ideoque opinio Hippocr. *g*) erronea eſt, qui foetum, ſi in praegnante purgationes menſtruae curſum ſuum teneant bene valere omnino non poſſe aſſerit; potius aliquae catameniis ſuppreſſis vexatae, praeter morem vulgarem tunc demum, neque prius, hunc fluxum experiuntur, cum fuerint impraegnatae; quare nec ex menſtruis ceſſantibus ullum certum factae conceptionis praeſagium deduci, nec ex iisdem con-

f) v. Deventer in oper. chirurg. Part. I, cap. 15. p. 54.

g) v. ei. Aphor. 60. ſect. edit. Liſter.

conſiſtentibus impraegnatio certe negari poterit *g*).

§. 19.

Nonnunquam fluxus menſtruus per medium graviditatis pergens, plures adhuc abſolvit periodos. e. c. mulier ſit impragnata, ſuamque copioſiorem menſtruationem ſub initio graviditatis experta, ſub fine etiam primi atque ſecundi menſis, menſtruis laborat; nunc autem ceſſant menſes. Si hoc in caſu ab ultima menſtruatione calculum ducimus reſpectu graviditatis octo hebdomadum ſpatio fallimur. — Haecce graviditatis menſtruatio quodammodo dignoſcitur.

a. Poſt

g) De la Motte lib. I. cap. 9. obſ. 26. p. 56. Obſ. 24. p. 53. Ephem. Nat. Cur. Cent. VI. Obſ. 75. p. 335.

a) Poſt copioſam plerumque minus iuſto tempore (extra periodum) menſtruationem, iterum menſtrua fluere, gradatim quod attinet ſanguinem fluentem decreſcere ac ad ſummum ſeptimum ad menſem usque continuare *h*).

b) Sanguis excretus clarior fit.

c) Sanguinis duorum aut trium dierum ſpatio effluxus intervallis alternat nimis longioribus.

d) Plerumque evenit vt ſymptomatibus ſpaſticis, teneſmis connexa, exiſtant menſtrua.

§. 20.

h) v. cl. STEIN l. c. §. 211. Mauriceau T. I, p. 155. ad ſeptimum usque menſum. DE LA MOTTE Lib. I. Cap. 9. Obſ. 25. p. 55. ad ſeptimum usque menſem.

§. 20.

In quibusdam feminis ſanguinis effluxus poſt dimidiam graviditatem ad ipſum usque partum perdurat, et feminae ultima carent menſtruatione. Quaelibet purgatio ſanguinis minus copioſior eſt, quam antecedens. Nunc vero ſemper copioſior et doloris ſpecie coniuncta eſt. Intervalla ab una ad alteram periodum breviora fiunt, et ſanguinis effluentis copia augetur. Hocce in caſu placenta eſt praevia *i*).

§. 21.

Itaque fieri poſſe, ex praecedentibus ſole meridiano clarius patet, alium menſium fluxum

i) vid. cl. STEIN l. c. §. 212.

xum, alium ſequi, ac per omne graviditatis tempus illum mulieri ſic accidere poſſe, vt ad ultimos geſtationis menſes ſanguinis effluentis copiae majoris quam initio graviditatis iacturam faciat.

§. 22.

Tempore graviditatis aliis ſignis determinato, tempus inſtantis partus circiter computari poteſt. Quo magis enim placenta ſegmentum vteri inferius tegit eo maturius foetus, in partum editur. Praevia è contrario omni placenta, partus ſpatium, ſex, ſeptem vel octo hebdomadum tempus antecapit. *Si* margo illius ad eum usque peluis prominet, tunc partus duas ad tres usque ſeptimanas tempore iuſto eſt prior.

§. 23.

Vt clariore luce menti obverſetur graviditatis diiudicatio, gravidarum in noſtro, quod floret Marburgi inſtituto, et Argentorati quasdam confeci tabulas, quarum ope ſtadia diverſa quorum intervallo graviditatis Phaenomena ſeſe prodere ſolent, et maturiores et ſeriores partus eorumque eventus, praeſagiuntur.

Ceſſatio menſium	Hebdom.	
Die XVI. Dec.		
1. Ceſſatio menſium	10	
2. Rima orificii vteri ad formam circularem inclinavit	12	
3. Veſtigium tumoris poſt et ſuper oſſa pubis obſcurum	14	
3	36	12
		40
		28 Hebdom. ad

partum usque qui poſt 27 Hebdom.

Die

Die XXVI. menſis Junii ſubſequebatur.

Die II. Maii.	Hebdom.	
1. Ceſſatio Menſium	33.	
2. Umbilicus profundus, et ab infra prominens - -	34	
3. Pila perfecte formata - - - -	36	
4. Tumor vteri quatuor pollices ſupra umbilicum - -	34	
4	137	$34\frac{1}{4}$
	12	40
	17	- $5\frac{3}{4}$ Hebdom.
	16	ad partum usque qui $4\frac{1}{2}$ Hebdom. die XXVI Menſis Junii ſubſecutus eſt.
	-1	

1. Ceſ-

	Hebdom.
1. Ceſſatio Menſium	24
2. Motus primus embryonis. - -	29
3. Umbilicus ſuperne prominens, - -	32
4. Tumor vteri tres pollices ſupra umbilicum - - -	30

4 | 115 | 28 $\frac{3}{4}$

8 | 40

35 | 11 $\frac{1}{4}$ ad Partum, qui poſt

32

-3 | XI. Hebdom. 3 dies ſubſecutus eſt.

Die

Die XXVII. Maii.	Hebdom.
1. Ceſſatio Menſium	34
2. Motus primus foetus	36
3. Umbilicus durius-culus atque protru-ſus - - -	38
4. Tumor vteri ad tres usque quatuor polli-ces; ab umbilico de-lapſus - - -	39
5. Segmentum vteri in-ferius haemisphaerii inſtar - - -	38
6. Orificium vteri ad-modum apertum -	39

6	224	$37\frac{1}{3}$
	18	40
	-44	$-2\frac{2}{3}$ Hebdom.
	42	
	-2	

ad partum, qui duas poſt ſepti-manas die X. Jun. ſequebatur.

Die

Die XX. Nov.	Hebdom.
1. Ceſſatio Menſium	36. $\frac{1}{2}$
2. Tumor vteri delapſus	38
3. Haemiſphaerium	38
4. os vteri quodammodo apertum	39
5. Tumendae reliquiae Portionis vaginalis	37
6. Umbilicus ſumme protenſus	38

6	226	37	Hebdom.
	18	40	3 dies.
	46	2	Hebdom.
	42		3 dies
	4		ad partum, qui poſt VI dies die XXVI. Nov. incidit.

 §. 24.

§. 24.

III. *Incrementum vteri.*

A primo ad tertium menſem vterus profundius in pelvim dilabitur, abdomen magis magisque complanatur. Quarto menſe abdomen quidem intumuit, ſed durus globus diſtincte non percipitur, niſi manu abdomini impraegnatae applicata, illi tuſſis cieatur. Quinto graviditatis menſe globus duriuſculus oſſa pubis atque umbilicum inter obſervatur, attamen margo ſeperior valde umbilicum verſus prominet. Sexto menſe ſuperior margo pone umbilicnm eſt, ſeptimo duos pollices umbilicum ſuperat, 8vo tres ad quatuor usque pollices aſcendit, 9no umbilicum inter ac ſcrobiculum cordis umbilicum inter ac ſcrobiculum cordis, decimo denique menſe, margo ſuperior ad diſtantiam quatuor pollicum ad latitudinem verſus umbilicum decabitu.

§. 25

§. 25.

Octavus menſis facile cum decimo confundi poteſt, quorum hoc eſt diſcrimen: Tumor nimirum decimo menſe ſupra umbilicum introrſum magis complanatur ac acuminatur. Verum aliorum adhuc ſignorum ope certiores reddimur.

Errores committere poſſumus.

a. In tympanitide et hydrope vteri.

b. In Obſtructionibus Menſium, et ſanguine vtero collecto propter hymen imperforatum.

c. Mola, aliisque vteri morbis etc. Sarcomate Scirrho.

d. Transverſo vteri ſitu.

 e. Nimia

e. Nimia quantitate liquoris amnii.

f. Gemellis.

g. Situ transverſo foetus;

h. Pelvi male confirmata, vbi delapſus vteri non locum habet.

§. 26.

IV. Mammarum Intumeſcentia.

Earum intumeſcentia, ac lac in iis, pro certiori à compluribus habetur ſigno, de quo tamen alii dubitant, cum ſaepe menſium defectui, ſuppreſſioni, vteri hydropi debeat originem. Imo non raro lac in virginum invenitur mammis, vt taceam maribus aliquando lactis contigiſſe proventum celeberrimus, nec ſatis laudandus STEIN ait: quam primum menſtrua ceſſarunt, mammae mox futurae

foetus

ſoetus nutritionis apparatum moliuntur. Notabile ſcilicet capiunt incrementum dum ſimul elevantur, ac earumdem venae caeruleo colore conſpicuae magis efferuntur. Papilla turgens, adſpectu quaſi inflata craſſeſcit colore naturali (ex albido rubello) obſcuriori diſtincta, et diſcus papillam ambiens in latiorem expanſus peripheriam, ſimili colore notatur, parvis eminentiis, quaſi totidem papillulis quarum numerus plerumque ad XV-XVII accedit, tegitur. Dolent aliis (pergit idem excell. auctor) tunc temporis mammae, aliis papillarum fiſſurae cum acerbiſſimis doloribus ſubinde accidunt. Plerumque vero omnibus gravidis termino quodam incerto, vt plurimum circa graviditatis medium tempus, quin ſerius, humor quidam tenuis manu exprimi poteſt. Lympha iſta ſtriis lacteis diſtincta ultimis menſibus maiore copia ſecernitur.

tur. Verum enim lac neque in virginibus neque in femina nupta hoc tempore obſervatur, ſed demum abſoluto partu. Non omni dubio tamen hoc ſignum caret. Siquidem rara licet virginum lactantium exempla legantur, per complures ſaepe omnes nutricum, quae infantem dudum ablactarunt, mammae liquore quodam turbido, lacteo profluunt, menſtruorum maxime tempore.

§. 27.

V. Motus Embryonis.

Vt plurimum ille media in graviditate in XIX - XX. vel XXI Septimana ſentitur; huic reciproce tempus primi Motus infantis vulgo pro dimidia graviditate accipitur. Verum

rum notavit Puzos *k*) in non nullis feminis à ſecundo geſtationis menſe, ſentiri foetum, aliasque eſſe, quae infantis motum ſexto vel ſeptimo demum menſe diſtincte percipiant: vltimum in feminis hydropicis et illis quae cetero tempore craſſo, abdomen habent modicè tumens, vel plures foetus ſeſe invicem motu impedientibus, geri obſervari.

§. 28.

Alius infantis eſt motus, qui non ab ipſius actione fit (gall. Ballotement du foetus) ſequitur ille vteri varias directiones, mitiorque

k) vid. ei. Traité des Accouchements. cl. Stein l. c. §. 297.

que eſt foetu vivo, quam mortuo. Interdum diſtinguitur tertio menſe, ſi vterum quem ex una parte digitus in vagina, ex altera vero manus pubis impoſita, fixum tenet, hinc inde movetur.

§. 29.

Fieri poteſt, vt foetus maturius moveatur, artubus nimirum plus roboris nactis, vt animae voluntati obſcurae morem gerant; ſed ob nimium liquoris amnii, cui foetus vbique ab vteri parietibus procul innatat, mater motum ac embryonis pulſationem ſentire nequit. Tum primum infantis motus parietes vteri verſus animadvertuntur, ſi liquoris amnii copia ad foetum magis aequalis ac poſtremo minor fieri, incipit; femina tunc temporis, noctu in ſitu dorſali motum infantis ſen-

tit. — Verum enim vero à primo infantiş motu in calculo haud difficulter fruſtrari poſſumus.

a. in primiparis, quippe quae eiusmodi motum ac characteriſticum illius nunquam ſenſerunt, et itaque ſpasmos, flatus, qui primis in menſibus contingunt, motum foetus habent, quin itaque duodecima hebdomade motum deprehendiſſe credunt, id quod plane non fieri poteſt.

b. Nimio amnii liquore debilem foetum circumdante, primus motus ſero admodum deprehenditur.

c. Primi motus foetus debilis non ſemper obſervari ac animadverti poſſunt.

§. 30.

VI. Prominentia Umbilici.

Et umbilicus in graviditate mutatur: media in graviditate hunc protenſo cavo, complanari, et ex rotundo oblongum fieri Levret poſuit. Septimo demum menſe planum evadere, cl. STEIN *l*) aſſerit. 8vo menſe ſuperne protruditur, nono menſe infra quoque, decimo tandem menſe piſi inſtar prominet.

Erratur.

a. in umbilici vitioſa conformatione, interdum enim fit, vt ab infantia praeternaturali promineat modo, aut foveam non formet.

b. in

l) v. l. c. §. 230.

b. in Omphalocele, Phyſconia, Hydrope, Aſcite.

c. in vteri obliquitate, hic enim umbilicus ſerius prominet.

d. in Gemellis, nimio amnii liquore et vbi uterus maturius maiorem ad altitudinem evehitur, umbilicum itaque maturius protrudit.

e. in multiparis umbilicus facilius ac menſe ferme prius protruditur; quo plures enim foemina partus ediderit, eo minus hoc in caſu umbilico ac ſigno vti poſſumus.

f. in nimis ampliore pelvi; hic enim vterus admodum profunde delabitur, ac ſaepius ad graviditatis finem vix umbilicum attingit, plane non valde prominentem deprehendum.

Hae

Hae ſunt, quas ſignorum inſtitui obſervationes.

Grav.	Hebdom.	Dies.	
1	13	—	ante partum umbilicus non formabat foveam ſed modice prominebat.
2	2	—	— — — umbilicus quidem plane prominet verum ſuperne magis, quam inferne.
3	2	—	— — — duriuſculus umbilicus plus ſuperne quam inferne prominuit, talisque ad partum vsque manſit, (fuit Multipara.)

Gravid.	Hebdom.	Dies.	
4	4	3	ante partum umbilicus ſuperne omnis prominens infra protrudi coepit.
5	2	2	— — — umbilicus omnis protenſus (primipara.)
6	9	—	— — — umbilicus magis complanatus.
7	1	3	— — — umbilicus ſuperne totus, inferne ex parte tantum, prominens.
8	4	—	— — — ſuperior umbilici tantum pars prominuit.
9	1	—	— — — umbilicus inferne quidem non tamen perfecte ſed fere protruſus fuit. (primipara: funis brachio circumplicatus.)
10	5	—	— — — umbilicus ſuperne protruſus (placenta praevia)

§. 31.

VII. Portio vaginalis.

Octavo menſe diminuta.

Nono menſe tumore adhuc ſuperſtite conſumitur.

Decimo primo dimidio tumor etiam evaneſcit.

Errores.

a) in multiparis portio vaginalis maturius in tumorem abit, plerumque ad partum usque remanet.

b) in nimia portionis vaginalis rigiditate primiparae, ea lente magis in tumorem mutatur, qui ad partum inſtantem usque remanet.

c) Uteri obliquitatibus, effectum plenum in portionem vaginalem impedientibus.

d) in

d) in placenta praevia.

e) Si vaginae ſuperior pars rite non extendatur, ſed tumorem in ſegmento inferiori fingat.

f) in transverſis ac obliquis Embryonis poſitionibus.

§. 32.

VIII. Pila.

Septimo menſe illa ſegmenti inferioris pars portionem vaginalem inter et oſſa pubis magis extrorſum rotundatur, pro portionis vaginalis ab oſſibus pubis receſſu.

Octavo menſe demum formatur Pila.

Nono menſe iam perfecte eſt formata.

Decimo menſe formam magni in pelvi profunde poſiti haemiſphaerii induit.

Erra-

Errata occurrunt.

a. Placenta praevia.

b. Capitis transverſa poſitione; vel ob nimiam liquoris amnii quantitatem capitis in ſegmentum inferius ſero delapſu.

c. Parte vaginae ſuperiore tumorem in ſegmento inferiore formante.

d. Anguſta vel dimota pelvi.

Pilae perfecta conformatio a legitimo gradatim ſubſequente, capitis effectu in ſegmentum inferius, dependet.

§. 33.

IX. Orificium uteri.

Diſtinguendum eſt inter primiparas atque multiparas.

Primi-

Primiparae.

Orificio vterino externo, exceptis geſtationis initio quae acciderunt, ante decimum graviditatis menſem nil vltra mutationis ſentitur. Sub eius initium vero rotundus ille tumor exiguus evaneſcit, omneque vteri ſegmentum inferius arctius ac globoſum, orificium vero plane complanatum, deprehenditur *m*). Duae fere hebomades ante partum os vteri aperire ſeſe coepit, tertiaque rotundam induit formam.

Digreſ-

m) Et haec omni exceptione non eſſe maiora vid. cl. Loder programma, quo probatur, ex anat. obſervat. circularem orificii vteri formam, certum ineuntis graviditatis ſignum non eſſe. Jenae 1785.

Digreſſiones.

a. in cervicis rigiditate ad partum usque non diminuta.

b. in rigiditate fundi; vbi cervix maturius diminuitur, orificium vteri vero IV-V. Hebdomades ante partum aperitur.

c. Embryonis ac vteri obliquus ſitus.

d. Placenta praevia.

e. vaginae tumor in ſegmento inferiori, quo os vteri ſerius aperitur.

f. Stadium praeſagiens, longe ante partum incipiens, vbi os vteri maturius aperitur.

Multiparae.

Quo ſaepius mulier peperit, eo imperfectior poſt partum rima eſt. Os vteri nonnihil itaque in talibus et extra graviditatem rotundum depre-

deprehendi poteſt, et in ipſo graviditatis ſtatu maturius figuram magis rotundiorem induit ac aperitur, vt per omnem fere geſtationem apertum ſit vteri orificium.

§. 34.

Poſtquam igitur praecipua ſymptomata, graviditatem denotantia, brevibus, quam per ingenii noſtri tenuitatem potuimus, dilucide propoſuimus, videamus iam, quot obſtaculis haec ſigna ſint implicita, quamque arduum ac fallax ſit, ea de re ſaepe iudicium, quum nullum certum, nullumque diſtinctum proprium ſibi habeat phaenomenon. Iam Hippocrates aliique hac de re quam maxime dubitarunt, atque ex infallibilibus ſignis graviditatem poſſe cognoſci, negarunt, cum omnia quae adſunt ſigna in alios etiam morbos cadere poſſint. Me-

dicus igitur de rebus illis in conſilium adhibitus, prudenter et circumſpecte agat et cogitet, cum tam varii ſint decipiendi modi, tam varia etiam puellarum mulierumque aſtutia quam detegere ne Oedipus quidem poſſet. Tuto autem progrediemur, famamque noſtram ſervabimus, ſi iudicium noſtrum, quantum fieri poterit, retinuerimus, vel dubie propoſuerimus, ne iudicium feſtinando noſtrum aut riſui, aut calumniis hominum exponamus.

TANTUM.

CANDIDATO DOCTISSIMO

S. D.

E. G. BALDINGER,

PHIL. ET MED. DR.

Si virum ingenuum ſimul ornant eruditio praeclara, ſingularis induſtria, et labor adſiduus in diſcendis litteris, talem Te certe noſco ab omni eo tempore, quo innotuiſti mihi. Non ſolum hic, ſed Argentorati etiam collegiſti Tibi tantam eruditionis copiam, vt meus ordo Te digniſſimum Candidatum honorum Doctoris cenſeret. Vehementer laetor, quod

quod et Tu augeas felicitatem noſtram, quae in eo quaerenda, quodſi Tibi ſimiles diſcipulos è Schola noſtra dimittere poſſimus. De Tua felicitate nullus dubito. Sis felix, vive diu, mihique in poſterum etiam fave!!

Scrib. Marburgi die III. Septemb. *MDCCLXXXX.*

2.

DE
EI VRBANI
TILITATE IN FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS, EIVSQVE VI ANTISEPTICA,

NEC NON

DE CAVSSIS

PRAEFRACTARVM INTERMITTENTIVM

AD

VIRVM CLARISS.

IO. CHRIST. GOTTL.

CKERMANN

MED. PROF. ALTORFIENSEM.

AVCTORE

VDOLPHO BVCHHAVE, D.

MED. HAVNIENSI.

MARBVRGI,

N NOVA OFFICINA LIBRARIA ACADEMICA

1786.

Quantum mihi a multis abhinc annis febrifugum, & ſimnl in terris borealibus inquilinum, indagare pharmacum aurae fuit cordique, tantum, hoc reperto, in id ſummo anniſus ſum ſtudio, ut illud in generis humani, inprimis vero pauperum, commodum ubivis propalarem. Etenim non ipſe modo in pericula, quo certior fieret res, maximopere animum intendi, verum etiam cum in ſcriptis, tum in literis, aſſiduis omnes noſtrae artis amantes meis ſolicitavi rogationibus, quo de pharmaci noſtri variis in morbis uſu & utilitate apud omnes conſtaret. Attamen deſiderio & votis praeter exſpectationem nequaquam reſpondere omnium pene medentium animi a). Plurimi vi-

a) D. E. G. BALDINGER, neues Magazin für Aerzte. B. 8. St. 2. S. 153. u. f. — Cum nullum D. ACKERMANNO proſpere

taſſe remedium ſunt viſi, quia indigenum & exteris comparatu facilius; alii, quia novum, & ſatis probatum; & iterum alii quia primis excidere auſis. Facillime concedo, omne novnm, & eximiis encomiis proclamatum remedium, apud omnes medentes iuſtam excitaturum ſuſpicionem, inprimis cum tribus pene luſtris varii, etiam magni nominis, viri exſtitere, qui variis pharmacis ſummas, ſed, proh dolor! plurimam exſpectationem fruſtrantes, tribuere virtutes, & effata innumeris probavere experimentis; inde vero periculis factis ſaepe aegrotantes noxam, & medentes creduli vel ignominiam, vel ad minimum demiſſum reportarunt animum.

Commune mihi, ac multis aliis philiatris fuit naufragium, quod ideo me cautum quidem, & ad omnia nova ſnſpicioſum, fecit, attamen nondum me eo, ut

ceſſerit periculum, ipſum *utilitatis* vocabulum irriſionis cuiusdam ideam lectoribus excitare, nullus non videt.

ut intertatum quid, vel aegrotis proficuum, vel arti medicae commodum, relinquerem, adduxit. In morbis enim, quibus non valida ſatis ſunt nota medicamina, alia tentanda, in deſperatis omnia, putavi. Hanc viam ingreſſo contigit Gei virtutes indagare, eadem quoque contra tuſſim convulſivam praeſentiſſimam inveni medicinam, radicem Belladonnam b). Artis medicae inopiam hoc inprimis modo ſublevandam eſſe ſemper cogitari.

Qui fieri potuit, cum ita cogitarem, ut mendacium, quod ipſe abominares, lectoribus, qui aeque ac ipſe ego huius rei pericula facere poterant, imponerem? Communiſſime tamen deprehendi, hanc de me ſuſpicionem foviſſe quamplurimos, quanquam in prima obſervationum circa Geum editione illam lectoribus demere ſategi c). Hos inter dubitatores, qui

 ſuam

b) BALDINGER, mediciniſches Journal. 2. B. 7. St. S. 79. 80.

c) Attamen brevitati non magis quam veritati

ſuam de hac re ſententiam typis mandarunt, omnium primus caput erexit *Todius* noſter, qui ſummis laudibus, velut letheio flumine dignam, prius radicem extulit, paulo poſt deinde eam in tartarum usque arbiter hic detruſit, mox vero, mutata iterum, haud praeter ſolitum, ſententia, iam inter febrifuga benevolus ponit d). Alterum his diebus dubitatorem cognovi *Ackermannum* e), qui prolixiori praefatione morem vel conſuetudinem obſervatorum novorum diffuſe expandit, quibus omnibus haud multum fidei habere videtur, & ſua deinde paucula in medium profert experimenta, cum radice Gei iuſtituta. Cum haec occaſione Gei dicta, & directe in me vibrata ſint tela emiſſa, non poſ-

operam dedi; mallem enim me non ſcripſiſſe, quam falſa & mentita aſſeruiſſe, quibus mendentes & alliciantur de corio humano ludere, & peroſo adhoc decipiantur modo. &c. Edit. I. p. 28. Ed. 2. p. 20.

d) Sundhedsblade for 1786. no. 33. og 34.

a) BALDINGER neues Magazin l. c.

poſſum non eadem aliquali modo retorquere, ne criminis reus tacendo videar.

Sciat igitur Dn. *Ackermannus*, quod, qui ſcriptorem ſe orbi literato ſiſtit, plenam eius argumenti, de quo mentionem iniiciat, notitiam ſibi comparatam habeat, alioquin multiplicem, & difficulter reſarciendam, etiam inſontibus ſaepe inferat noxam. Hanc, quam imitarer, mihi regulam in animo ſemper impreſſi, hancque ſibi imprimerent. Sic me non laediſſet D. *Ackermannus*, quemadmodum nec ego in culpam alios ſcripto meo laedendi unquam incurri. Namque aurea illa veritas, quae prius me ad cognoſcendas Gei virtutes duxit, eadem etiam calamum, qua obſervationes depinxi, direxit, & quidem ſine ullo ad magnas laudes vel ingentia proemia habito reſpectu, ſed modo ad artis noſtrae incrementum. Credo, quae ad accurate captandas morborum hiſtorias pertinent, officia me perſpecta habere atque cognita; nec hoc

 vio-

violaſſe me puto. Nunquam a remedio maiora ſperavi, nec plura videre mihi ſum viſus, quam quae fida me docuit experientia; tanta artis medendi nunquam laboravi ignorantia, quae mihi in morbi ſymptomatibus, & iurantis naturae conatibus, decernendis obſtaret; obſervatis meis impendio veritatis ornamenta addere nunquam mihi in mentem venit, cum ipſa natura ad lectum aegrorum morbi ſymptomata, horumque mutationes ita monſtraverit, ut illa neceſſitate, plura ad menſam ſcriptoriam, quam ad lectus obſervandi, nunquam preſſus fuerim; ſed ambobus in locis cogitatione & ratiocinio uſus literis ea mandavi, pro quibus, ut ſpero, poſteri, ſi non coaetanei, iuſtas mihi perſolvant gratias.

Ad haec, & multa alia, in me a D. *Ackermanno* coniecta opprobria atque iniuria, pluribus reſpondere haud operae pretium duco; ſed, illa ei omnia, inconſulte & raptim congeſta, facile condono

ne

ne conviciis ineptis tempus perdatur, & lectoribus nauſea moveatur. Sermonem ſuum igitur convertat *Ackermannus* ad eos, qui ob perfidiam illam, pro veritate mendacia orbi literato obtrudendo in multorum perniciem, correctionem & caſtigationem meriti ſint. Pröoemio hoc excepto multum me ei debere confiteor ob ſinceritatem, qua ſua in publicum prodire iuſſit experimenta, etiamſi ſiniſtra & perpauca; hac enim via incedendum, ſi unquam veri & determinati remediorum effectus, in artis incrementum, patefiant, & certitudinem de huius vel alius, non ſatis experti, remedii maiori vel minori in variis morbis efficacia adipiſcamur. Ad hoc iam dudum omnes philiatros ſerio exhortatus ſum f); pauci vero omnino voto ſatisfecere, plurimique pericula, & dextra & ſiniſtra, omni ſtudio celavere. Suas ſingulares alti huius ſilentii cauſas habeant, quicunque tali modo arti

f) Obſ. circa Gei urb. virtutes, Edit. 1. p. 30. Edit. 2. p. 21.

praeſtantiſſimae ſuccurrere non ſatagunt. Nullam igitur illis debemus laudem vel gratiarum actionem, quemadmodum illi, qui, licet inexperti, aliorum operam tamen ſuſpectam reddere inique allaborant, medici nomine indigni ſunt, atroque notandi carbone. Si omnes obſervatores eadem animi ſinceritate, qua ego in ſcribendo uſus ſum, ſua conſignaſſent & propalaſſent tentamina, nullius criminis unquam accuſati eſſent, nec anſam inſontibus ignominiam, vel ſuſpicionis notam inurendi praebuiſſent.

De virtute Gei antiſeptica dubium ſuum prius in medium producit D. *Ackermannus* g). De bona radicis virtute in febribus putridis, inquit, ſe ab initio dubitaſſe, ad quod credendnm quaedam experimenta, cum carne mortua inſtituta, ei perſuaſere. In his, pergit, ſe detexiſſe, radicem Gei haud maiori pollere antiſeptica virtute, quam plurima alia vegetabilia,

g) Baldinger, neues Magazin. l. c. p. 150.

lia, quibus in febribus putridis uti, magnum fatuitatis ſignum eſſet. Quo vero modo haec fecit pericula, & quibus vegetabilium ſpeciebus uſus eſt, ne verbum quidem addidit, ſed tacito pede omnino praeteriit; quod tamen non debuit, cum radicis noſtrae in hoc caſu inertiam contra quod ego experientia ſuffultus dixi, redarguere voluerit. Capiat D. *Ackermannus* ſua tentamina ad methodum meam h), & ad eam, qua innumera exhibuit *Collinius* experimenta i), tunc depulſa omni de uſu radicis antiſeptico fatuitatis idea, veritatis ſigillo mea notata inveniat, ſibique omnem, quam hucusque de hac virtute aluit, dubitationem deleat, & in partes meas tranſcendat.

Ad innumera & laudabilia ſua, varia methodo peracta, experimenta adhibuit *Colli-*

h) Obſ. Edit. 1. p. 121. ad 131. & Edit. 2. p. 134. ad 151.

i) Arnicae in febribus & aliis morbis putridis vires. P. V. in append. p. 157.

Collinus k) rad. & flor. Arnicae, rad. Contraiervae, Valerianae, Serpentariae virg. Ipecacuanhae, Rhei, Angelicae, cort. Peruvianum, Simarubae, flor. Chamomillae, ſem. Sinapi, Camphoram; inter quae vegetabilia radicem Arnicae omnibus, inquit, palmam praeripuiſſe l), & virtutem poſſediſſe ſexies vel ſepties magis antiſepticam correctoriam, ſaltem carnium putridarum, quam cort. Peruvianus m).

Secundum mea tentamina circa corticem Peruv., rad. Gei urb., flores & radic. Arnicae liquet: Geum virtute ſua antiſeptica non Corticem modo, rerum etiam & flores & radicem Arnicae, quam tanti facit *Ackermannus*, exſuperaſſe; namque infuſum Corticis tenue tantummodo per XIII. dies, & concentratiſſimum per XVI. dies putredini carnis obſtetere, quod itidem

k) l. c.
l) Ibid. p. 63.
m) Ibid. p. 109.

itidem effecit debiliſſimum Gei infuſum, e minimis radicalibus fibris paratum, cum per XV. dier putredini carnis moram iniecerit. Potentius infuſum, e fibris nempe radicis Gei maioribus paratum, corruptionem diutius avertebat, ſc. LV. dies, quod igitur ad illa, ex floribus & radice Arnicae parata, acceſſit, quorum prius XLV, alterum LXVII. dies putedrinem averuncarunt; at potentiſſimam antiſepticam vim exercuere infuſa, e maximis rad. Gei truncis, & ex integra radice parata, quoniam & carnes a corruptionis nota immunes, & firmam conſiſtentiam cum fragrante radicis odore a die IX. Iulii in ver ſubſequens, cum eas reiecerim, ſervarunt m). Magnam hanc antiſepticitatis vim non infuſa ſolum, ubi & fixa & volatilis pars radicis conſtitutiva eſt unita, verum etiam alia experimenta, in volatili radicis principio hanc reſidere, me docuerunt. Aquas enim radicis Gei deſtillatas & concentratas, volatile radicis principium

m) Obſ. Edit. 2. p. 243.

cipium unice continentes, totidem dies, ac fortiſſimum Corticis infuſum, carnis foretori obſtretiſſe, nempe 16 dies o), & alio experimento viſae ſunt unc. 11 aquae concentratae aequali gaudere antiſeptica vi, ac pulveris eiusdem radicis unc. β, diutiusque a carne putredinem averuncare p). Si exinde concluſionem formare liceat, omnia alia vegetabilia, his tentaminibus ſubiecta, longo poſt ſe intervallo relinquit Geum.

Sed fabulam ſurdo narrare viderer, ſi propria mea experimenta, D. *Ackermanno* iam diu nota, & ab eo reiecta, in propria cauſa excitare vellem; his igitur aliena rem noſtram ſatis tuentia, addam documenta.

Cl. *Frid. Anjou* narrat, Illuſtrem *Murray* in ſuis praelectionibus noſtrae radici inſignem antiſepticam vim tribuiſſe.

o) Obſ. Edit. 2. p. 245.
p) Ibid. p. 251.

buiſſe q). Idem ille addit: Se mea repetiiſſe experimenta, & ex ſuis fideliter teſtari poſſe egregiam radicis virtutem antiſepticam r). Alio loco hanc veritatem ſibi confirmavit, ſub gummearum puta partium extricatione, longa digeſtione facta. Verba eius ſunt: „ Non poſſum „ non, quin deducam exinde validam ſa„ tis probationem antiſeptica virtutis ra„ dicis caryophyllatae, cum per totum „ illud tempus (octo hebdomades) ſub „ calida digeſtione, ne ullam quidem pu„ tredinis notam contraxiſſe aquoſum il„ lud infuſum". s).

E propria experientiae penu adhuc quaedam nova depromere obſervata mihi liceat. In ſphaceloſa partium corruptione eximiarum huius radicis decocti, externe adhibiti virtutum aliquoties teſtis fui ocu-

q) Diſſ. inaug. med. de rad. Caryophyllatae vulgaris officinalis, ſive Geo urbano *Linn.* Goettingae 1783. p. 20.

r) Ibid. p. 27. s) Ibid. p. 35. not. 39.

oculatus. Viri quinquagenarii duo, hydrope pectorali cum tumore ſcroti, femorum & crurum diu laborarunt, tandem tumore in immenſum creſcente levamen quoddam quaeſivere miſeri in tibiarum cutis ſcarificatione, quam mox inſequebantur maculae cutis gangraenoſae. Decoctum radicis Gei, quo ſaepe fomentatae ſunt tibiae, non inflammationem modo obortam penitus delevit, verum etiam ſphacelum, certo certius ſubſecuturam, omnino averruncavit, ut poſtea, novis plagis ſcarificatione inflictis, aquae exitum, & miſeris ſolamen dolorum parare, toties opus erat, absque metu novae oborientis gangraenae licuerit, ſi modo fomentum, quoties inflammatio id urſit in uſum traherem.

Praecedentibus memorabilior mihi caſus paulo poſt obvenit, quem hic loci reticere iniquum duxi, quia maximo radicis Gei antiſepticitatis documento mihi erit, quamvis plenam ſanationem mors ſuperveniens abrupit.

Foe-

Foemina ſexagenaria, debilis, permacra, pallida & cacochymica, per aliquot menſes arthritide iſchiatica, in femur dextrum verſus genu ſeſe extendente, laboravit, & tandem ob adſcitum oedematoſum tumorem totius femoris, cruris atque pedis, cum anorexia & obſtipatione ſine ſebre lecto affixa fuit. Initio Iunii vocatus primas purgavi vias, & poſtea pulverem rad. Gei & Gummi Guajaci aequalibus partibus mixtorum praeſcripſi. Dolores mox inde mitigati ſunt, & cruribus ſcarificatis multum aquae effluxit. Poſt octiduum iterum, de novo inſurrexit & auctus eſt dictus femoris dolor & tumor, cum adiuncto rubore in externa femoris parte, & ſymptomatibus febrilibus. Iterum ſcarificati ſunt pedes, & pulvis temperans cum rad. Jalappae & Squillae paululo dedi. Ceſſante iterum 10 Junii febre, ad pulverem rad. Gei & gum. Guajaci, adiecta radice Squillae, confugi. Epithema ex ex herb. Abſinthii, flor. Chamomillae, aliisque reſolventibus, femori

mori in immenſum expanſo, & levi externa & cutanea inflammatione affecto, applicatum. 13^{tio} poſt fomenti uſum mollior eſt femoris tumor, ingentem vero accuſat dolorem, qui, 14to mitior, ſed 15to iterum auctus mitigationem brevem intenſa externi femoris inflammatione atque tumore, & tibiae variis variae magnitutinis veſiculis, lympha plenis, diverſisque in locis cruris, etiam extra loca ſcarificata, maculis lividis compenſavit. Dolor nunc remiſſior, pulſus moderatior, & ſomnus hac nocte bonus. Decoctum rad. Gei fortius epithematis loco, veſiculis apertis, ad loca nigricantia calide applicare, & pulverem Gei interne copioſe porrigere haud diu cunctatus ſum. Biduo conſumto, 17mo, maculae lividum ſuum cum gryſeo commutavere colorem. Orexis, ſomnus, pulſus bonus. 18mo macularum ſphacelatarum plurimae diſparuere; plaga vero maior, latitudinis trium pollicum, initio aeque livida, lymphaque tumida, in anteriori cruris parte poſita, iam col-

collapſa, depreſſa; ſenſuque omni privata, loco lividi; caſtaneum, vel brunneum; induerat colorem; a decocto ſine dubio natum. 10mo margines dictae plagae, tumidi rubrique magis, & vicina paſcentes, ſaepius iteratam decocti applicationem popoſcere. 12mo ſeparatione emortuae partis à viva hinc inde viſa, cutim forfice praeſcidi ſine ullo aegrotantis dolore, deinde chirurgum aſſociavi, qui externis digeſtivis unguentis, aliisque encheireſibus corrupti ſeparationem procuravit ita, ut vulnus purgatum ſanationis capax fuiſſet; ni cacochymia, ſeniô & virium defectui iuncta, vitam iuſtô maturius abſtuliſſet.

Haec, ni omnia me fallunt, obſervata eximiam radicis Gei, cum externe tum interne adhibitae, antiſepticitatem luculenter demonſtrare putavi, ideoque eadem hic loci inſerere, quo omnibus pateſiant, nullus dubitavi, & quo ſciolos medentes, qui licet virtutis Gei anticepticae omnino

expertes, ſaepe tamen aut conſilium meum de Gei uſu repudiarunt, aut ad minimum hac in urbe tentamina turbarunt, aegrorum amicos, loco radicis Gei, a me in difficillimis caſibus praeſcriptae, ad Corticis uſum, ut infallibilem, exhortando, indubitatis redarguam factis. Et ſane optandum eſſet, ut plures boni philiatri veſtigia mea intrepide calcarent, hancque radicem ſimilibus in caſibus ulterius explorarent, quo haec antiſeptica virtus extra omnem dubitationem poneretur, & enormi copiae corticis, hucusque huic malo profuſius oppoſitae, parceretur.

Ab eo tempore, quo alteram obſervationum circa radicem Gei editionem publici iuris feci, in huius radicis effectu, in febribus bilioſis, malignis & putridis obſervando totus fui, nec me unquam poenituit laboris. Primis viis probe & ſufficienter purgatis, hanc radicem ſub forma decocti vel pulveris aegris affatim porrigere nunquam haeſitavi, namque de prae-

clara

clara pharmaci prae aliis vegetabilibus reſolvente, roborante & antiſeptica vi plane convictus, nullum unquam fovi timorem, ne efficaci ſua virtute morborum tam periculoſorum victricem ſe non praeberet, & multoties egregia eius facinora laetiſſimus vidi. A pharmaco enim, quae trinam dictam ſiſtit virtutem, optima quaevis ſunt exſpectanda.

Haec dicta ſunt hac vice de inſigni radicis anticeptica vi, quam nemo expertus inficias ibit. Nunc, quae de ſuis in febre intermittente obſervatis in medium produxit D. *Ackermannus*, obiter ſunt percurrenda.

De duobus ſolummodo aegris mentionem iniicit t), qui radice Gei urbani in tertiana intermittente uſi ſunt, ancilla nempe & lignarius faber; tertio, ſutori, febrem tertianam malignam Cortice ſuppreſſit, & ad praecavendum reditum fortiſſi-

t) Baldinger, neues Magazin. l. c. p. 156.

tiſſimum decoctum de radice Gei, Arnicae & foliis Trifolii fibr. aequalibus partibus paratum dedit aliquamdiu, adeoque de radicis Gei effectu in hoc caſu non iudicandum. Addit: Conſtitutionem tunc temporis epidemicam fuiſſe biliofam; febres intermittentes omnino ſimplices; remedia praeparantia & evacuantia eſſe praemiſſa; radicis Gei rite paratae copiam ſat magnam inter tres paroxysmos adhibitam ſine ullo effectu, febrium vero alteram prius Cortici, deinde lacti, ſeptuageſies & ſepties cocto, alteram aquae Toffanae u), a circumforaneo porrectae, ceciſſe. Tandem an febris huius repugnantia conſtitutioni bilioſae imputanda, quaerit, & meam de hac re ſententiam in votis habet v).

Si

u) Remedium arſenicale, de quo vide Pyl's Magazin für die gerichtliche Arzneikunde und medicinische Polizei. 2 B. 3 St. S. 477.

v) Mirandum hercle eſt, cur tantum mihi funderet opprobrium ob duo modo tentamina ſiniſtre cedentia, cum alias haud

Si D. *Ackermannus* meam in alteram obſervationum editionem attente perlegiſſet praefationem, exinde cognitum haberet, ſincero me animo ſemper egiſſe, cum ibi omnes radicis effectus, cum dextros tnm ſiniſtros, tunc temporis mihi cognitos, propoſuerim, ſimulque methodum meam intermittentes refractarias curandi indicaverim, & exemplis, in ipſo libro allatis, illuſtraverim; atque ut vir artis peritus iudicaret ipſe caſus ſibi obvenientes ſine mea explicatione, cum antea dictis nil pene habeam addendum. Interim, ſi inde clarius rei lumen accendatur, & a me devolvam iniectam ſuſpicionis notam, non decro. Omnia igitur, quae in hac re a me peracta, inde ab inven-

 tionis

magnus ei ſit febrifugorum, & ideo neque Gei uſus, quoniam, ut ipſe refert, inter trecentos aegros vix ultra unum aut duos notaverit intermittente laborantes. Gratiorem mihi ſine dubio in poſterum exhibeant animum ruralem facientes medicinam.

tionis initio in haec usque tempora, voto eius facturus ſatis breviſſime revolvam, quo cum radicis diverſam efficaciam in diverſis ſubiectis, reſpectu ad eorum vitae genus, vel ad morbi ſimul praeſentis atque corporis conſtitutionem habito, tum ad methodum, cuiusvis febris ſpeciei convenientem, tum denique meam innocentiam, ei ſuſpicioſe habitam, abunde perſpiciat.

Prima, quae circa radicem Gei inſtitui, expetimenta, facta ſunt circa annum 1773, dum in Regia Academia Equeſtri Sorana medici munere ſum functus. Inter rutales populos vere & autumno numeroſiſſimae ſunt febrium intermittentium ſpecies, inprimis tertianarum, Spatio duorum annorum CXXV. curandas habui, nempe quotidianas XXIII, tertianas LXXI, quartanas XXI, & larvatas X. Vulgum vidi ad ſic dicta domeſtica, ſed ſaepe periculi plena, remedia refugium in his morbis habere; his incaſſum tentatis

meam

meam implorabat opem; excepto Cortice, nullum ſuppeditavit medicina pharmacon huic malo ſatis valens; hunc vero, ut unicum & certum morbo opponere remedium ſaepe vetuit paupertas aegroti, ſaepeque iteratus reditus febris. Arctos medicinae terminos contemplans aegre tuli, me miſeris nullas poſſe manus auxiliatrices adferre, ſed in artis contemtum eos ſine ſolamine eſſe miſſurum. Dura igitur neceſſitas varia, cum ante ab aliis, ut febrifriga, decantata, tum ex proprio ingenio inventa, & adhuc intentata, periclitari me coëgit. Inter multiplicia tentamina in Geum tandem inciderunt experimenta. Hanc ſtirpem tentandi anſam ſubminiſtravit Flora Suecica *Linnaei*, ubi auctoritate *Kalmii* x) radici Gei rivalis antifebriles tribuuntur virtutes y). Hoc pharmacon, cum ante me iam dudum

x) Reſa til Norra-America. T. II. p. 463.

y) Verba ita ſonant: Radice, loco Cort. Chinae, in febribus intermittentibus utuntur Canadenſes.

haud magna felicitate contra febres oppoſuere medici Sueci z), & deinde *Heuermannus* a), quapropter illud experiri ſupervacuum duxi. Potius mihi arriſit ei affinis radix Gei urbani de qua nullam certam tunc novi experientiam, ab aliis indicatam b), verum canonis memor, a *Linnae* c) adſtructi: „ Plantas, quae flore & „ fructu conveniunt, affinitatis vinculo „ inter ſe connexas eſſe; & has qua facul„ tates etiam inter ſe eſſe conformes, & „ ita qnidem conformes, ut a priori ef„ fectum plantae determinare quodam„ modo poſſimus", in animum induxi tentare, annon huic plantae eadem vel maior

z) K. Vet. Acad. Handl. Vol. XVIII. p. 121.

a) Bemerk. B. 1. p. 19. 215.

b) In Mat. Med. *Linnaei* nulla fuit mentio de uſu Gei urb. in intermittentibus, in noviſſima vero editione, Lipſ. & Erlang. a. 1782. impreſſa, huius uſus video commemorationem, cui additamento obſervationes meae, a. 1781. Hafniae impreſſae indubitanter anſam dedere.

c) Amoenit. Acad Vol. I. p. 403.

maior ineſſet virtus ac Geo rivali. A primis inde periculis factis felices & auſpicati fuere exitus omnium febrium intermittentium, & in ſummam mei admirationem nunquam defuit remedii effectus, ſed pauciſſimi populi ruſtici, qui exactam neglexere diaetam, ob recurſum febris repetitum modo exegere pharmacum. Doſis remedii itidem admodum exigua febri fugandae ſuffecit d). Ad calcem usque anni 1780, cum primam obſervationum editionem typis mandaverim dictum remedii effectum videre licuit. Hinc nullas inter octaginta, intermittente laborantes, contumaci generis febres offendas e), namque in id temporis nullae huiusmodi mihi obviam ivere; quaedem vero, remedio, etiam poſt repetita praebia, obſtantes, cortici Peruviano cedebant, cuius phaenomeni cauſam in radice, iuſto citius ſupra fornacem ſiccata, atque

d) Cf. Act. Reg. Soc. Med. Haph. Vol. I. r. 1873. p. 129.

e) Obſ. Ed. I. p. 33. ad 81.

atque volatili parte ſpoliata, inveni, caſusque hos fideliter annotavi f). At anno 1781, cum adhuc ruri tentamina ſim proſecutus, quatuor refractariae ſeſe oſtendebant febres, quas, ut ſincero decet viro, omnes propalavi g); pulvis tamen radicis non hic ubivis optimae erat notae, neque hi aegroti robuſto populo rurali erant nati. Hafniae deinde verſanti plures quam ruri vel refractariae, vel radicem reſpuentes, mihi obviam venere intermittentes. Has pari modo minime celavi h).

Boni igitur obſervatoris officium minime neglexi, omnes caſus, cum dextros tum ſiniſtros afferendo; hinc facta & phaenomena naturae exſcribendo, nullo me dignum opprobrio eſſe iudico.

Quod

f) Obſ. Edit. 1. p. 20. not. & Ed. 2. p. 15.

g) Edit. 2. p. 91. no. 114. 115. 116. 117.

h) Ibid. Edit. 2. p. 96. no. 121. 123. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154.

Quod ad remedii noſtri in febribus intermittentibus effectum, hunc ruri fauſtiorem quam in metropoli eſſe didici. Ibi enim in univerſum aer purior, ratio vitae ſimplicior & laborioſior; compages corporis firmior; organa & adminicula, digeſtioni deſtinata in morbis operoſiora, quam in magnis civitatibus, ubi omnium rerum affluentia, deſidia, abuſus liquorum ſpirituoſorum, potuum calidorum, & veneris praematurae, domicilia humida, aër incluſus, vel miasmatum variorum foecundus, corpora enervant, debilitant, & ad cacochymiam & dyspepſiam ducunt. Ab his fontibus derivanda, cum morborum in genere tum in ſpecie febrium intermittentium, vel facilitas vel repugnantia. Apud nos, uti in aliis regionibus, ad boream ſpectantibus, intermittentium febrium, quotannis vere & autumno epidemice graſſantium, ferax eſt clima; attamen numerus earum rure longe eum exſuperat, qui in metropoli, magnisque civitatibus occurrit, quemadmo-

dum illae rurales ſimplicitate, brevitate & curationis facilitate metropolitanas vincunt i).

Nunc minime puto latere cauſam, cur inter primas mei obſervationes editas nullae inveniuntur febres vel complicata vel refractariae, ſed modo ſimpliciſſimae, cum primorum tentaminum plurima in populo rurali, validis nervis & opitulante natura inſtructo, facta ſint; namque inter LXXX. intermittentes IV. tantum fuere refractariae, & hae quidem in perſonis, a ruſticana gente diſtinctis k); Hoc aliis ver-

i) Quamvis felices quasdam intermittentium curationes adduxit *Bangius* in Act. Reg. Soc. Med. Hafn. Vol. I. p. 99, in noſocomio noſtro Fridericiano Geo peractas; attamen aliarum meminit, quae & Geo & Cortici non modo reſiſtere, verum etiam inde pejores factae, immo in contunuam verſae, vel morte terminatae ſunt. Vide. ib. p. 253. 275. Univerſim mali moris ſunt omnes noſocomiorum intermittentes.

k) Vide not. praecedentem h).

verbis ita ſovat: Inter ruſticos nunquam vel raro ſpem meam fefellit medicamentum. Ad caeteros huius laborioſae gentis morbos animum convertentes, eos cito medicinae cedere videamus; plurimae enim aegritudines, vel e dyspepſia vel refrigerio primordia trahentas facile vel evacuante remedio vel diaphoretico in fugam vertuntur, & epidemici morbi, ſi incurrant, remediis, etiam inſanis ſaepe impune adhibitis, difficile profliguntur.

Si medici ruralis loco urbanorum noſtro ab initio uſi fuiſſent remedio, aeque felici, ac ego, eventu eos gaviſos iri haudquaquam dubito; omnes vero, quantum novi, inepto atque intempeſtivo *Todii* rumore perterriti eodem noſtris in provinciis abſtinuere. Inter omnes Chirurgos noſtros fauſtis ruralibus experimentis eminuere *Leibers* l), *Svenſen* m), inprimis vero *Waldſtedt* n); hisque diebus

l) Obſ. circa Geum. Edit. 2. p. 34.

m) Ibid. n) Ibid. p. 20.

bus accipio, chirurgum civitatis Sloglo-ſienſis in Siaelandia, *Geer*, innumeras & felices praeſtitiſſe intermittentium curationes, quae hoc verno tempore inter ruricolas graſſatae ſunt. Abſens praediorum adminiſtratoribus ſimplicem meam, quae imitaretur, commendavit curandi normam, quam vulgi gratia, danice conſcriptam, anno 1781. typis mandavi, quamque ſecuti ruſticis intermittentes in fugam fauſte verterunt. In parvis Siaelandiae adiacentibus inſulis, inprimis in Moena, eſſentiam radicis Gei iam univerſale contra multas aegritudines factum remedium fama refert.

Ex contraria parte maior curandi difficultas, cum inter urbanos, tum eos, qui rure a ſimplici vivendi ratione receſſerunt. Namque organis digeſtionis enervetur totum corpus neceſſe eſt; haec vero enervatio & dispepſiae & cacochymiae variae, quibus quamplurimi in magnis urbibus febricitantes laborant, nec non

maiori

maiori mortalitati anſam ſubminiſtrat. Biblioſas febres in metropoli quovis fere anni tempore numeroſas, rure perquam raras obſervando didici. Hanc igitur malam corporis diſpoſitionem, hominibus, qui in urbe degunt, communiſſimam, admodum praefractas reddere intermittentes, nullus non videt. Obſervationes a me hic loci captae o) dicta probare poſſunt, cum ex XXXVIII. intermittentibus fuerint XI. contumaces p). Harum IV, radici Gei omnino obſtantes q), Cortici peruviano ceſſere, & VIII, inter quas V Corticis vim eluſerunt, Radici morigerae fuere r). Talium febrium intermittentium contumaciam in omnibus magnis urbibus locum invenire haud dubitandum, atque mecum in hac re cenſentientientes habeo Cl. *Henslerum*, *Selle* s)

C &

o) Ibid. p. 95. ad 124.

p) Vide notam modo adductam h).

q) Obſ. Edid. 2. p. 120. No. 151. ad 154.

r) Ibid. p. 113. No. 146. ad 150.

s) Ibid. p. 42. 43.

& *Bangium* t), uti ipſe quoque *Ackermannus* mecum quodammodo facit, cum confiteatur, ſic dictam ibi loci conſtitutionnm ſemper adeſſe bibliofam, inprimis dum bina ſua inſtituerat tentamina.

Collatis paucis, quae hunc in diem & rure & hac in metropoli inſtituta ſunt, experimentis, haud parva in ambobus locis oboritur differentia effectus radicis noſtrae in intermittentibus. Supra indicavi, radicis effectum inter ruſticos nunquam vel raro abfuiſſe, & ſi his eos annumerare placeat, qui licet ruri habitantes, alia tamen vivendi ratione utuntur, vix aegrorum vigeſimus efficacia pharmaci omnino deſtituatur, cum, uſui radicis iunctis reſolventibus, morbum facile exſuperat. Contra ea in metropoli biennii tempore, ab initio anni 1782. ad finem 1783, mihi ſeſe obtulere XXIX. periodicae febres urbanae, quarum XXI. intermit-

t) Acta Reg. Soc. Med. Hafn. Vol. I. p. 335. 454.

mittentium, & VIII. larvatorum genere erant. Harum VII, adeoque quaevis quarta febris medicinae obſtetit, donec iterata evacuantia vel reſolventia in uſum tracta eſſent. Haud parva felicitate uſus eſt *Weberus* u), qui occaſione foſſae cimbricae effodiendae anſam quaeſivit noſtrum tentandi remedium in intermittentibus v). Cl. huic viro, qui remedii eficaciam in hominibus plus quam CLII, intermitente labo-

C 2

u) *Weber* & *Kock* Diſſert. de nonnullorum febrifugorum virtute, & ſpeciatim Gei urbani radicis efficacia. Kiloni 1784. 4.

v) Huic cl. viro, cuius experimenta in intermittentibus mea longe exſuperant, ad minimum quae publici iuris feci, omnium maximum in radicis efficaciam ſtabiliendam ſtudium fuit, plurima me debere gratus agnoſco; ſuo namque hoc praeclaro facinore, famam nomenque meum, quod aperte & furtive ſubruere conati ſunt quidam malevoli, ab omni accumulata me perfidiae ſuſpicione vindicavit. In magnum orbis literati diſpendium, iam perhibet fama, eum nuper mortem oppetiiſſe.

laborantibus, expertus eſt, quaelibet quinta febris contumax ſuit, cum LII, radici omnino inobedientes, Cortici vel aliis ceſſerint pharmacis; attamen etiam XV habet, quae, Corticem eludentes, radici morem geſſere. Auſpicatiores ſine dubio forent hae curationes, niſi in militibus aliisque operariis, ſpirituoſis potionibus ſcepe abutentibus, indeque dyſpepticam & cacochymiam cum debilitate primarum riarum contrahentibus, eſſent facta. Horum factorum inſcius eſſe nequit D. *Ackermannus*, cum Ill. *Murray* illa in aureo ſuo libro x) omnes enumeraverit.

Ex his modo adductis clare, ut ſpero, perſpiciat D. *Ackermannus*, minime animo meo vitioſo, ſed durae pauperum neceſſitati, artisque emolumento affectato, adſcribendam eſſe remedii noſtri inventionem, inventique remedii affectus non fucato nitore, in medentium vel aegrotantium fraudem, a me obductos, verum ita char-

x) Apparatus medicaminum, Vol. III. p. 127.

chartae eſſe mandatos, ut mihi & rure & metropoli nuda ipſam & dictitavit natura, non expunctis, quae una obvenere, caſibus ſiniſtris. Perſpectis ſimul probe atque disiunctis, quaenam natura, & quaenam pharmaca adhibita pariant, phaenomenis, aliam obſervandi normam, obſervatori neceſſariam, nondum novi, nec hoc reſpectu, ut putat D. *Ackermannus*, facile ſeduci in intermittentibus ſimpliciſſimis potui, ubi febris ſymptomata ut plurimum luce meridiana ſunt clariora.

Tandem ad explicandum me provocat D. *Ackermannus*, annon ſiniſtri ſuorum tentaminum eventus inde derivari poſſent, quod omnes intermittentes a conſtitutione bilioſa, quae apud eum per plurimos annos quaſi conſtitutionem ſtationariam ſubaluit, ſuam traherent originem; annon eundem vidi eventum, & ſub quibus circumſtantiis?

Quamvis ſupervacaneum videtur ad ea uberius reſpondere, quae ubivis in

ſcriptis meis variis obſervatiooibus aſſerui, ubi unicuique hiſtorias morborum legere, eorumque cauſas inveſtigare, liceat; attamen mea de iis, quae hoc in caſu experientia docuit, ſenſa aperiam provocatus, Si diviſione febrium praemiſſa de contumacia earum breviſſime diſſeram. Namque de febrium intermittentium ſede, & determinati paroxyſmorum reditus cauſa, magna fuit inter auctores diſſentio, qui ad has omnes attenderunt; at ad cauſam contumaciae materialem, eiusque indolem iuſto minus attenderunt plurimi, quod tamen maximi uſus eſt in quotidiana praxi. Hanc igitur, quantum in me eſt, breviſſime eruere, atque ad praxin referre, in ſequentibus conabor.

Quod cauſa praediſponens, ſive ab epidemico miasmate, ſive aliunde in corpore nata, in nervis, vel horum origine, encephalo, haereat, iiſdemque qualitatem imprimat, unicuique intermittentis ſpeciei propriam, qua, accedente cauſa

occa-

occaſionali irritante, in convulſivum vel inordinatum motum concitentur nervi, & quod occaſionalis, hunc motum febrilem determinatis temporibus atque horis excitans, quandoque ſub ſenſus cadat, externus, quandoque vero iisdem occulta ſit, nemo, qui lecta & obſervata ſua ad experientiam revocare geſtit, negare poteſt.

Sedes cauſae occaſionalis vel in primis viis, vel tantum in ſecundis, vel denique in caeteris viſceribus & glandulis, inprimis abdominalibus, quaeri poteſt.

Materies cauſae occaſionalis diverſa eſt indole, utpote in ſecundis viis mucoſa, interdum ad inflammatorium vergente lentorem, vel acri & cacochymica; in primis viis vel acri, vel télioſa vel putrida & maligna, colluvie inteſtinorum mucoſa ſaepius irretita, pro cuius differentia etiam natura intermittentium febrium erit diverſa. Ad hanc igitur cauſæ

differentiam, & non ad redituum periodos, rectiſſime ordinanda ſunt genera intermittentium; namque generibus, eorundemque ſpeciebua ita ad cauſam materialem diſpoſitis, de morbi natura, adeoque de methodo curandi certiſſima, eo facilius eſt iudicium ferendum y).

Haud raro tamen harum materierum cauſalium quandoque quaedam occurrit complicatio; harum tamen una vel altera communiſſime praevalet, a qua ſumenda ſit indicatio generalis. Schema intermittentium, ad meam experientiam elaboratum, hic apponam,

I. INTERMITTENS MVCOSA.

1. *Simplex.* Epidemica, ut plurimum tertiana, ſaepius verna. — Diatheſis ſanguinis mucoſa. Primae viae purae. — Diaphoretica.

2. *Complicata.* Praecedenti ſimilis. Colluvies primarum viarum pituitoſa,

y) Huic methodo naturali primus facem accendit cl. *Selle* in Rudimentis Pyretologiae methodicae.

tuitoſa, cum vermibus, vel certi generis adiuncta acritate. — Diverſis morigera pharmacis, inprimis evacuantibus & febrifugis.

Corollar. Ab impedita cutis tranſpiratione utplurimum natales ducens facili negotio in fugam vertitur.

Species prima omnium tractabiliſſima, cum diaphoreticis ſolis cedat, & rurales quamplurimos, aeris iniuriis & viciſſitudinibus expoſitos, corripiat, fundamentum poſuit notiſſimae huic populo curationis per ſudorem, vino, ſpiritu vini cum pipere, oleo terebinthinae, aliisque heroicis, quamvis ſaepe periculoſis, pharmacis provocatum, quoniam hanc depellere valeant ſpeciem.

Secunda ſpecies, ruralibus, aliisque robuſtis hominibus, aeque communis in ſingulo ſubiecto ſaepe eſſe videtur, quia natura longe diverſis [in fugam vertitur pharmacis, vulgo notiſſimis; ſæpe mate-

riali cauſa mobili, evacuatione ανω vel κατω facta aufertur febris, ſæpius vero febrifugum poſtulat, cui facile cedit, raroque recurrit. Aſt ſi comes tuſſis catarrhalis febri aſſocietur, mora effectui febrifugi, adeoque febri abituræ nectitur; hinc huic ſymptomati prius medendum.

II. INTERMITTENS BILIOSA.

1. *Simplex.* Tertiana verna. — Signa colluviei bilioſæ in primis viis. — Evacuantia, deinde utplurimum febrifuga.

2. *Complicatae.*

α. *Inflammatoria.* Tertiana ſimplex vel duplicata, verna. — Signa præcedentis. Diatheſis phlogiſtica. — Antiphlogiſtica, deinde evacuantica, diluentia, reſolventia, febrifuga.

β. *Putrida.* Quotidiana, quartana, haud raro tertiana, autumnalis. — Signa ſimplicis. Diatheſis putrida. Apyrexia brevis. Tranſitus in continuam. — Evacuantia,

antia, diluentia, reſolventia; mature roborantia & antiſeptica antifebrilia.

γ. *Maligna.* Tertiana, ſæpe quartana autumnalis. Signa ſimplicis. Varia ſymptomata nervoſa, periculoſa. Apyrexia brevis. — Expulſa collunie, danda in primo etiam intervallo nervina atque antiſeptica antifebrilia; alias mors in ſecundo vel tertio paroxysmo.

Coroliar. Hoc Genus pro re nata maiorem parit difficultatem, ac præcedens.—

Species prima tamen quam proxime ad ſecundam primi generis accedit; hic vero ſimul bilis in primis viis præſentiam offendimus, ex amarore guſtus & linguæ flavedine cognoſcendam. Ruricolis, aliisque ſimplicem degentibus vitam, communiſſima curaiionem poſt colluviei bilioſæ remotionem facile admittit, rariſſimeque recurrit. Si diutius duret, ſuapte cauſam morbi occaſionalem pedentiam eliminant

minant vires robuſtæ naturæ, ut, lingua cum ſit pura, nulla alia, quam febrifuga, opus ſit medicina. — Iis vero, qui primarum viarum debilitate laborant, vel neglectis neceſſariis evacuationibus, iuſto diutius colluviem bilioſam retinuere, pertinacior eminet morbus, in recurſum pronior. Hoc etiam iis accidit, qui, ſudorem nimis calidis remediis inepte provocando, ſanguinem bilioſa colluvie inquinavere. Hæc febris præfracte interdum febrifugis reſiſtit pharmacis, donec omnes alvo expulſæ ſint impuritates, quod digeſtivis ſalibus, inprimis ſale ammoniaco cum addita radice Jalappæ, aliquoties quotidie alvum aperientibus, perficitur; vel, ubi ſanguis colluviei abdominalis particeps factus ſit, decocto radicis Graminis, Scorzoneræ, Taraxaci & ſtipitum Dulcamaræ, additis foliis Sennæ, & materiem reſolvere & per alvum educere ſategi, quo facto, febrifugis febrem abegi, vel, ſi hoc denegaverit febris natura, per aliquot dies uſui febrifugorum adiunxi dictarum

ſtir-

ſtirpium decoctum absque Senna, & nunquam votis excidi.

Complicatarum ſpecies *inflammatoria* mixtam conſtituit febrem, ex diatheſi bilioſa atque phlogiſtica conflatam. Paroxismi iuſto diutius protracti cum ſymptomatibus phlogoſeos, ex pulſu vel doloribus cognoſcendæ, antiphlogiſticum imperant regimen. Decocto ſtirpium modo dictarum reſolventium ſimul diluta maſſa ſanguinea, atque phlogiſtica eius diſpoſitione prorſus deleta, ſuapte huic ſæpenumero cedit methodo, nec ſemper febrifugum pharmacum poſcit. Lingua poſt debitas, ſi opus ſint, purgationes alvinas quamvis ſatis pura videatur, ut de alvi impuritate nulla alatur ſuſpicio, uſu febrifugorum tamen, phlogiſtica diſpoſitione præſente, aperte exaſperantur paroxysmi, vel in continuam tranſeunt, & confeſtim abolendam hanc indicant medicinam, donec digeſtivis, vel nitro & decocto reſolvente hæc ablata ſit diſpoſitio.

Alte-

Altera ſpecies, *putrida*, initio haud raro febrim, ſic dictam, putridam æmulatur, adeoque larvata in conſpectum prodit; quibusdam vero, quandoque VIII. diebus præterfluxis, & depoſita larva, veram, ſed malis complicatam ſymptomatibus, ſiſtit intermittentem, quæ ſæpiſſime longa, haud raro ob perverſam methodum, curatione & medentem laſſavit & ægrum, vel mala excitat ſymptomata, ut auriginem, vel in continuam tranſeat, & morte quandoque terminatur. Quandoque in âeris epidemica conſtitutione vel âere impuro, quandoque vero magis in diæta inordinata & incongrua, vel mala ſanguinis craſi hæret culpa. Communiſſimæ hæ mihi videntur cauſæ, cur urbanarum febrium moroſitas quam ruralium maior. Acre bilioſum, cum lento inteſtinorum muco coniunctum, colluviem conſtituit tenacem, tunicæ inteſtinorum villoſæ ita agglutinatam, ut longum ad ſui reſolutionem & plenam evacuationem requirat tempus. Paroxysmi ad horas

XVI. vel XVIII. protracti velocem ſuſtinent ſanguinis motum, quo in ſecundas vias rapitur bilioſo-putrida acredo, quæ ſanguinem, humoresque inde deductos, ſubiens & febris vehementiam exaſperat, & diuturnitatem auget. Lingua, alias multum impura, quamvis poſt evacuationes nullam alvinarum foecum exhibeat notam, experientia tamen loquitur, quod tum in abditis inteſtinorum reſiduum colluviei alat morbum, tum in ſecundarum viarum penetralia translata acrimonia & craſin ſanguinis mutet, & vires peſſundet, ut optimis interdum febrifugis, etiamſi ad multas libras exhibitis, obices præſentia moliatur ſua, & multiplices recurſus. Bene purgatis ἀνω & κατω primis viis, & reſolventia decocta cum fol. ſennæ & maſſam ſanguineam purificantia lenia diaphoretica in uſum diu trahenda, quo demum per omnia colatoriac orporis eiecto veneno, febrifugo, cum decocto Graminis, Taraxaci & Dulcamaræ iuncto, præfracta febris victae dare, cogatur manus. Recur-

ſitan-

ſitanti eadem iterum opponenda ſunt remedia, & per aliquod tempus reiteranda.

Species tertia, *maligna*, nunquam mihi obviam venit, ideoque de radicis Gei contra hanc efficacia nulla omnino gaudeo experientia; attamen, ſi unquam obveniret, & de radicis adhibendae bonitate mihi certo conſtaret, uſum eius in hoc caſu, quamvis dubio, minime timerem.

III. IMTERMITTENS LARVATA.

Signa alterius cuiusdam morbi, intermittentis typum absque pyrexia ſervantis. — Periodus multiplex. — Evacuantia, febrifuga.

Coroll. Nullam mihi unquam larvatae peperere difficultatem; ingenii tractabilis omnes, quas vidi, fuere, & minime quandoque radicis Gei quantitati morem geſſerunt, nunquam vel raro in recurſionem pronae.

IV. INTERMITTENS CACOCHYMICA.

1. *Complicatae.*

α. *Abdominalis.* Quotidiana vel quar-

quartana, raro tertiana, chronica. — Signa obſtructionis contentorum quorundam abdominalium. Diatheſis cacochymica, mucoſa, ad inflammationem vergens. — Reſolventia fortiſſima, diuturna, deinde roborantia ſefrifuga.

β. *Pulmonalis.* Quotidiana ſimplex vel duplex. — Signa phthiſeos pulmonalis. Diatheſis inflammatoria. — Antiphlogiſtica ſuſpecta, ſaepe nociva..

γ. *Acrimonialis.* Quotidiana, tertiana, quartana. — Signa acrimoniae certi generis. — Remedia unicuique acredini oppoſita.

Corollar. Generis cacochymici ſpecies & ſocia intermittentium haud raro obſervatur, cum continua utplurimum adſit dyspepſia, chylus ſanguinem male paratus intrans huic videtur & acrimoniam impertiti & tenacitatem mucoſam, quae

tandem, excitata in locis obſtructis, inflammatione chronica, in lentorem inflammatorium degenerat. Inter multas centenas intermittentes, raro unicam huius ſpeciei mihi licuit obſervare. Magis enim hic ad naturam vivitur quam in magnis urbibus, ubi plurima pars hoc maio aegrotantium quotannis ad noſocomia confugiunt, & infidum ſæpe ſolamen inde reportant. Vulgus namque urbium potui ſpiritus ardentis valde deditus; ditiores ſerum in veſperam coenæ & poculis inhiant; omnes vero vitam neceſſarii motus, corpori tam proficui, expertem ducunt; quibus diætæ vitiis non corpus modo languidum & viribus ſpoliatum, verum etiam multiplices viſcerum & glandularum abdominalium ſibi contrahunt obſtructiones. His praeſentibus non tantum incaſſum, verum in perniciem porriguntur febrifuga; ſalia vero digeſtiva, modicæ & circumſtantiis aptatæ venæſectiones, reſolventia, etiam fortiora, ut ſulphur auratum antimonii, omnem utplurimum abſolvunt paginam. Spe-

Species *β* haud ita rara, quam deceptiva, eſt; veram namque quotidianam æmulatur, & febriſuga poſtulare videtur, quæ tamen hoc in caſu utplurimum ſunt nociva, cum cauſam, pus ulcerum pulmonalium acre, in ſecundas vias translatum, nec auferre nec mutare, ſed potius inflammationem pulmonem chronicam, & pectoris oppreſſionem augere, valeant. Mucilaginoſa, pectoralia ſquillitica, & ſi ſymptomata urgeant, parvæ venæſectiones, & veſicatoria hic febrifuga audiunt.

Species *γ* acredinem variam, ſyphiliticam, ſcorbuticam, impetiginoſam, cæt. habet, quæ aſſociata intermittentibus vel febris curationi obicem ponit, vel eandem excitat, & iteratis recurſionibus anſam ſubminiſtrat; at remediis unicuique acredini ſpecificis adhibitis, removetur febris, vel ad minimum febrifugis liberum in febrim dominium conceditur.

Ex allatis ſatis ſuperque patet, plurimis generum trium priorum ſpeciebus utplurimum adeſſe cauſam viſibilem occa-

ſionalem, quae febrim excitare, alere, & pro re nata contumacem reddere valet, & ſimul nullam quandoque ſeſe aperte manifeſtare; ſed in latebris primarum vel ſecundarum viarum reſidere, atque ſibi vel irritatione ſua, vel tranſitu in ſanguinem, præfractam reddere ægritudinem, ut ægre vel minime febrifugis cedat, quemadmodum etiam hoc ſuis tentaminibus expertus eſt D. *Ackermannus*. Excepto genere quarto cacochymico, quod ſemper refractarium eſt, bilioſi generis mihi plerumque fuere intermittentes rebelles & pertinaces, inprimis complicatarum inflammatoriæ & putridæ. Ambæ hæ ſpecies, purgatis antea licet primis viis, nulloque colluviei ſigno ibi praeſente, pertinaciter tamen quandoque ſeſe ad optima gerunt febrifuga, quamdiu diatheſis, unicuique propria, in ſecundis haerens viis, non prorſus ſit delecta. Hoc in caſu non tam opus eſt catharticis, quam reſolventibus & ſaponaceis, quae miasma ſanguinis bilioſum, vel humorum lentorem ſenſim mi-

nuendo

nuendo atque auferendo, ſimul febris fomitem tollunt. Quo facto, nil ſupereſt cauſae occaſionalis, ſed praedisponens adhoc immutata permanet ſymptomata febris conſueta certo tempore renovare; dicitur tunc febris in conſuetudinem abiiſſe. Nil nunc reſtat, quam ut febrifugum motus nervorum ſupprimat, atque febri colophonem addat, quo in fugam vertatur. Experientia præeunte hanc inivi theoriam, nunquam in praxi fallentem. Febribus namque omni febrifugæ medicinæ praefracte obſtantibus, prius decocto ſolo fortiori radicis Graminis, Taraxaci z), Cichorii, Dulcamarae &c. adiecto paululo foliorum Sennae, alvi gratia aliquoties quotidie deponendae, deinde eodem abs-

 que

z) Radices Graminis canini & Taraxaci nuperrime in periodico ſcripto, *Sundhedsblade*, impenſe laudavit *Todius*, easque, ut remedia, & Corticem & Geum exſuperantia, exaltavit; cauſam effectus ſibi dicit ignotam, quamvis facillime colligi poteſt, hanc in virtute reſolvente conſtare.

que Senna una cum febrifuga radice, vel hac ultima ſola, obviam ivi, & nunquam non victor redii. Magna vero & quotidie iterata decocti opus eſt portione, utpote menſura, & pulveris Gei uncia dimidia, vel ultra, inter paroxysmos, quae remediorum portio, aliquot dies repetita, febrim etiam contumaciſſimam huius generis devincat.

At praeter enumeratas aliae quandoque in conſpectum prodeunt intermittentes refractariae, quarum acrimoniae, febrim excitantis, genus ex ſymptomatum concurſu minime cognitum habere poſſumus, quod quam parum in morborum corporis humani acrimoniis, in quolibet dato caſu determinandis, hucusque profecimus, aperte loquitur. Diverſi eas eſſe generis, utpote acidi vel alcalini, vel alius ignoti, nullus dubitandi relinquitur locus, cum hoc etiam quotidiana plebis empiria nos edocet. Quoties non vidimus, acido Citri, ſero lactis acidi, lacte ebutyrato febrim, quandoque ad vera febrifuga

brifuga pertinaciſſimam, in fugam vertiſſe vulgam? Cuius exemplum imitantes, occaſione praefractae febris, acidum citri ſuccum, vel acetum, potui Coffeae iunctum, interdum fauſte arripuere medentes. Quoties febri huic auxilio non fuere ſalia alcalina, carbones, cineres vegetabilium, terrea, ſic dicta, abſorbentia, carnes & iura animalium, quorum quaedam apud vulgum febrifuga audiunt? Ne mentionem iniiceam de ſympatheticis & ſuperſtitioſis, quae ſtultitia invenit, remediis, quaeque in deſperatis caſibus quandoque mortalibus fuere ſaluti, quamvis eorum agendi ratio nobis ſit penitus abſcondita Hinc, ſi intimius in cauſarum occaſionalium naturam penetrare liceret, plures forſitan, quam quas noſcimus, intermittentium exſurgerent ſpecies, ſuis propriis gaudentes acrimoniis, utpote acidis, alcaleſcentibus, &c.; ſed hoc nullibi certum, cum indoles acrimoniae non ubivis eadem ſit, nec ſemper aperte ſub externos cadat ſenſus, & cum remedia, febri

oppſita, tum ſaepe cauſae materiali non reſpondeant, tum etiam, ſi eidem conveniant, cauſam ſolummodo occaſionalem alterando, non vero immediate praedisponentem aggrediendo. agant. febrim haud raro intactam relinquunt, ideoque nunquam non infida fuere.

Ex modo dictis videre licet, diverſam in incognitam cauſam occaſionalem quandoque febrifugis impedimentum obiicere, quo minus effectum ſibi ſolitum in cauſam praedisponentem exferere valeant; quia cauſa occaſionalis ignota aliis, cauſae, convenientibus, remediis removeri debuerit; attamen ſaepius accidit, ut alia, antehac ſic dicta, febrifuga effectu careant, quia effectus eorum cauſam praedisponentem non tangant, quae ut morbi principium conſideranda. Sic e. g. ſalia media primarum viarum colluviem quidem evertunt, ſed ad nervos non perveniunt; ſudorifera in noſtris primi generis ſpeciebus proficua, in plurimis aliorum generum noxam ſaepe inferunt, acrimonias inteſtinorum

in

in maſſam ſanguineam transferendo, cauſasque intactas relinquunt; Opiata, alias motus violenti nervorum domitores, cauſam eorundem praedisponentem haudquaquam attingunt; amaricantia vegetabilia, priſcis tam chara febrifuga, fibras ſolidorum laſſatas adſtringendo & roborando edunt virtutem, nullum vero in cauſas auferendas influxum habere videntur. Sic de caeteris.

Alia vero eſt ratio ſincerorum febrifugorum, quo Corticem peruvianum & radicem Gei urbani refero. Haec ſolum in cauſam modo praedisponentem, in nervis innatam, habent dominium. Cauſa occaſionali non penitus remota infringunt quandoque intermittentes, brevi vero recurſuras; at hac quocunque modo everſa, easdem citiſſime in fugam vertunt.

Hoc poſito fundamento videre liceat, quare univerſale inveniendi febrifugum per plurima ſecula tam magna fuit omnibus bonis difficultas, quae in eo tantum conſiſtebat, ut detegeretur remedium, ac-

caſionali cauſa remota, in nervos agendo, & cum iis ſpecialem quandam communicando virtutem, cauſam aggrederetur praedisponentem, qua deleta & vi ſua ſpoliata, nervorum contractiones ſpasmodicas, ſub paroxysmorum initium praeſentes, averterent, atque omnino reprimerent.

Si penitius illud acrimoniae genus, cuilibet intermittenti proprium, haberetur cognitum, haud longis ambagibus opus erat in febre intermittente depellenda; nam, dato praeſenti acredini contrario pharmaco, & purgata alvo, ad febrifuga, ſi neceſſitas talia exigerat, erat confugiendum, quo nervis impreſſa ad febrim excitandam diſpoſitio omnino exſtingueretur. Cum vero ſaepe remedia, acredini haud congrua, porrigantur, haec non mutata pergit iuſto diutius ſuam in nervos irritationem exſerere, febrique vel ad curſum inceptum continuandum, vel de novo reiterandum, addit incitamentum

tum, donec evacuantium pharmacorum & naturae ope e corpore eiectae acredini occaſio dematur lædendi. Hæc, meo iudicio, haud infrequens eſt contumaciæ febrilis cauſa; frequentior tamen vehiculi, acorem foventis, tenacitas & lentor, qui quandoque longinquam ad ſui attenuationem, reſolutionem & eiectionem exigit tempus. Hoc in quibusdam febribus tam vernis quam autumnalibus obtinet, & varium arguit febris demendæ obſtaculum, quod tamen in autumnalibus utplurimum maius eſt, ægriusque aufertur, ob maiorem alvi impuritatem, & biliofam huius indolem, quæ haud raro difficulter vel tarde deletur, cum interim vis nervea peſſumdetur, inprimis convenientium remediorum neglectu, dyspepſiæ iungatur cacochymia, diuque irritatis nervis ſenſibilitas, & ad motum ſpasmodicum pronitas, in conſuetudinem tandem vertat.

Cum genus acredinis ſenſibus obſcurum haud raro curationis pariat difficulta-

tem,

tem, & ſalia digeſtiva acredini interdum haud conveniant, neceſſe eſt, ut antea indicata reſolventia ſaponacea, cuivis acritudinis generi convenientia, praemiſſis vel additis ſimul evacuantibus, cauſam auferant materialem, & febrifuga praedisponentem. Haec theoria non niſi multiplici experientia condita diu mihi in uſu fuit, & nunquam, niſi in caſu obſtructorum viſcerum, ubi reſolventibus heroicis opus eſt, fefellit.

Haec ope demonſtrationis animo percipi poſſunt; at inter plurima alia noſtrae artis myſteria referri mereatur phaenomenon illud, haud raro obvium, quo, etſi nulla materialis cauſa videri poterit, febrim videmus Cortici obſtantem, Geo autem morigeram, & vice verſa. D. *Ackermanni* ultimus hic caſus fuit, qui repudiata radice, Cinchonae morem geſſit, quorum caſuum ipſemet quosdam obſervatione cepi, & inter obſervata adduxi a), quemadmodum etiam, quae ex contraria parte

a) Obſ. Edit. 2. p. 120. no. 151. ad 154.

parte egerunt, febres in obſervationum libellum retuli b).

An igitur nervis inhaerens cauſa praedisponens, & a febrifugis tollenda, in diverſis ſubiectis diverſa ſit & materialis? Non affirmo; namque acredines cauſae occaſionalis, ſive in primis ſive in ſecundis viis habitantes, nervos irritare, in actionem ducere, & paroxysmos provocare credere fas eſt, ſimulque virtutem ſuam non in occaſionalem cauſam, eandem vel alterando, vel corpore eliminando, exſerere febrifuga, ſed in nervos ipſos, eorundem motum ſpasmodicum & convulſivum amica & paregorica ſua vi compeſcendo & ſiſtendo. In hac re conſentientes habeo mecum magnos viros, quam etiam alio loco c) demonſtrare ſategi. Cum itaque nec ullam mutationem, nec eiectionem cuiusdam materialis procurent, neque a diverſa aut materiali cauſa dictus ortum trahit harum febrifugorum effectus.

An

b) Ibid. p. 113. no. 146. ad 150.

c) Ibid. Edit. 1. p. 18. ſq. Edit. p. 13. ſq.

An miasma bilioſum vel putridum per ſecundas vias longe lateque diffuſum, iam vero poſt peractas alvi purgationes relictum, quicquam huc conferat? haud abſonum quibusdam in caſibus videtur. Aliorum & meis experimentis, carne mortua & putrida inſtitutis, conſtat, & Cinchonae & Geo ineſſe vim antiſepticam; attamen hoc reſpectu Geum Cinchona longe ſuperius eſſe. Quod haec pharmaca, intus ſumta, antiſcepticum non ederent effectum nil contradicit; ſic in ſecundis viis ſubdole latens zylioſo-putridum miasma, adeoque cauſam febris, una delerent. Inde vero hanc deduceretur conſequentia: In putridum miasma maiori prae Cinchona vi gaudere Geum; quod etiam praeter mea in febribus bilioſis putridis & malignis quotidiana huius efficaciae documenta, veroſimile fecit *Weberus*, qui, materiali cauſa ſublata, magnam, inquit, Geo ineſſe efficaciam in debellandis quartanis d), & cum harum febrium ſpecies

d) l. c. p. 20.

cies utplurimum ſoboles ſint colluviei, bilioſae, etiam ratio intelligatur, quare Cinchonâ efficaciorem in his expertus eſt radicem, quemadmodum etiam quaedam a *Bangio* memoriae relicta exempla e) hoc arguere videntur, & quotidiana praeterea docet experientia, vim eiusdem nervos roborandi illa Cinchonae eſſe maiorem. Sed iterum ex altera parte obſcura eſt illa Cinchonae actio, qua intermittentes, Gei actionem reſpuentes, quandoque facile vincit. An in alius generis tum praeſens miasma ſubigendum maius habeat Cinchona, quam Geum imperium, an vero maius in certum & incognitum nervorum ſtatum? Hic tenebrae. —

An igitur ſingulo pharmaco ſuus in nervos agendi modus? Haud ſane videtur. Ambo pharmaca, iuxta *Weberi* f), *Aniou* g), & mea obſervata, quod vires attinet, ut ovum ovo ſimillima; ambo robo-

e) Act: Reg. Soc. Med. Hafn. Vol. I. p. 297.
f) l. cit. p. 20.
g) l. cit. p. 32.

roborantibus nervinis, reſolventibus, & antiſepticis gaudent virtutibus; eorum igitur agendi modus idem erit, quamvis experientia ſuffultus *Weberus* Geum in quibusdam Cortici poſtponit h), quemadmodnm ego in quibusdam Corticem Geo poſtpono. Forſitan haud longe a veritatis via deflectimus, ſi abſconditam fibrarum nervearum poſitionem, vel certum alienumque nervorum adeſſe ſtatum, ponamus, in quo cauſa conſiſtit praedisponens, & in quem corrigendum agunt febrifuga; uniusque remedii actionem, pro hoc incognito nervorum ſtatu diverſo, aliquantum uno tempore ab alterius actione, quam altero, differre.

Ita in praecedentibus cauſas febrium rimando, ſponte ſeſe obtulerunt varia genera, quae, reſpectu habito ad contumaciam ſub uſu proprie dictorum febrifugorum diverſo ſe gerunt modo; aut enim morbus ſe monſtrat tractabilem, aut rebellem, aut praefractum, aut remediorum dicto-

h) l. cit. p. 20.

diſtorum impatientem; & quidem ſigillatim dantur febres intermittentes, quae & Cinchonae & Geo pari facilitate morem gerunt, aliae, quae Cinchonae, non vero Geo i), & iterum aliae, quae Geo, non vero Cinchonae obediunt k), aliae denique, quae neutro horum pharmacorum parent l), vel ſi pareant, brevi tamen recurſitant; tandemque aliae, quae febrifugis non pertinaciter modo reſiſtunt, verum etiam ſub uſu eorundem deteriorantur, vel aliena producendo ſymptomata, vel in continuas febres transeundo, immo aegritudinem morte ter-

i) Obſ. meae Edit. 2. p. 120. no. 151. ad 154. *Bang.* Art. Reg. Soc. Med. Hafn. Vol. I. p. 297. *Rance* ibid. 335. & 454. Quae ibidem a *Bangio* recitatur intermittens p. 240, Geo immorigera, ſed Cinchona curata inertiam Gei in hoc caſu non arguit, cum ante uſum Cinchonae adhibita ſunt reſolventia. *Weber* & *Kock* l. c. p. 21.

k) Obſ. Edit. 2. p. 112. no. 115. 146. ad 150. *Aaskow* ibid. p. 254. no. 2. *Calliſen* ib. p. 256. *Bang* ib. p. 257. 258. *Tode* ib. p. 259. *Weber* & *Kock* l. c. p. 20.

l) Obſ. Edit. 2. p. 93. no. 116. *Weber* & *Kock* l. c. p. 21.

minando m). Fundamentum igitur fauſtae curationis principale erit exacta harum ſpecierum cognitio. Magnum ſane hinc erit ignorantiae documentum, immo haud condonandi criminis, ſi quis, refragante licet febris natura febrifugi unam poſt alteram libram miſeris vellet obtrudere aegris. Hanc tamen methodum ſecutos eſſe etiam magni nominis medicos quandoque vidi, & exempla adduxi n).

Haec dicta ſufficiant de diviſione febrium intermittentium, earumque contumaciae cauſis, ex quibus apparet, non ſemper remedii adhibiti inertiae, ſed ſaepius abſconditae indoli febris imputandum eſſe ſiniſtrum eventum.

Quod ad Geum attinet, cum rara a medentibus hunc in diem capta experientia, tum iniuſta radicis, ob caracteris generici febris ignorantiam, multis ie caſibus applicatio, nil certi de eius in intermittentibus virtute conſtituit; ego vero, ut antea memoravi, hanc radicem maximae efficaciae ruri eſſe, minoris vero in metropoli, & in iis aegris, qui aut diaeteticam naturae ſimplicitatem ſani tranſcenderunt, aut febre,

m) *Bang.* Act. Reg. Soc. Med. Hafn. Vol. I. p. 253. 262. In ultimo horum caſuum iuſto diutius continuatus eſt in cacochymica uſus Gei.

n) Obſ. Edit. 2. No. 146. 147. 148. 154.

febre, ob conſtitutionem quamcunque epidemicam, catarrhalem, bilioſam, &c. praefracteſſe gerente, laborarunt. An haec obſervatio minoris Gei quam Cinchonae febrifugae virtutis indicium ſit? penes alios erit iudicium, quos vel patriae vel artis amor, vel occaſio in noſocomiis, quod mihi negatum, periclitandi in poſterum adiceat. Cinchona etiam quandoque, immo ſaepe, in metropoli noſtra incaſſum porrigitur; immo novi varias epidemias, ubi de eius perdita virtute in his morbis multum conqueſti ſunt practici medentes; an vero Geum ſaepius eventum fruſtrat ac Cinchona, hocque in quibusdam vel omnibus epidemiis, & ſub quibus notis morbi genericis, dicant alii; nam Geum maxime mihi fuit apud omnes aegrotos uſui, & iam unicum & ſacrum in omnibus affectionibus remedium eſt, quae aut febrifuga, aut roborantia, aut antiſeptica exegerunt, ideoque, cuiusnam harum ſtirpium praevaleat in intermittentibus virtus, pro certo non mihi liceat pronunciare. *Weberus* poſt Corticem peruvianum optimum dicit Gei radicem febrifugum, & debita eam laude extollit o). In intermit-

 tenti-

o) loc cit. p. 19. Cum haec diſſertatio paucorum ad oculos perveniat, verba ipſius cl. viri heic loci apponere haud pigebit. — „ Nullum ſane ex recenter laudatis febri„ fugis (Arſenico, Nuce vomica, Chamo-

tentibus remedium eſt, quo carere nequimus, cum illud non rure modo in quamplurimis, immo pene omnibus, infallibile repererim, adeoque maximo commodo vertatur egenis, quos ſanitatem magno emere pretio ingens pene omnium rerum penuria vetat, verum etiam cum multas devincat intermittentes praefractas, quae vim Cinchonae eluſere p), ubi antea monui; immo

„ milla, Quaſſia, Cort. Hipocaſtani) dubitanti meae exſpectationi magis ſatisfecit, quam haec radix, etſi obſervationes meae non ubique iſtis *Buchhavii* ex omni parte reſpondeant. Neque ullum fuit remedium, quo cum ab eius inventione, (dubitanter enim ſemper noviter inventa, aut ſaltim laudata arripio), plura & accuratiora inſtituiſſem experimenta. Et nunc in eo ſum poſitus, ut practicis medicis fidem dare poſſim, rite collectam atque rite ſiccatam Gei urbani radicem bona eſſe & ſecuram medicinam, quae poſt Corticem peruvianum optimum ſit febrifugum, tam quod vires attinet, quam ob abſentiam incommodorum, quibus alia antifebrilia ſtipata ſunt, quae roborantes, nervinas, antiſepticas & reſolventas aeque ac Cortex peruvianus, etſi non omnes eodem gradu, iungat virtutes“.

p) *VVeber* l. c. p. 20. Praeter propria mea allata experimenta, plura vide in Obſ. meis Edit. 1. p. 135. 138. 139. ad 143. Edit. 2. p. 254. 256. ad 259.

immo magna *VVebero* in genere fuit Gei efficacia, materiali cauſa ſublata, in debellandis quartanis febribus q), etiam cum obſtructione hepatis iunctis, ubi Gei radicem multo ſecurius dedit, quam Cinchonae corticem, eamque ob cauſam, ſi in ſanandis talibus febribus animus ei fuerit poſtea corticem exhibere peruvianum, in curatione, praemiſſis praemittendis, cum Geo incepit r). Plura in poſterum detegat medentium ſolertia.

Non poſſum non dictis hic loci pauca addere, quorum mentionem in ſcriptis meis iam dudum quidem inieci, quae vero poſtea in quotidiana mihi praxi ſunt confirmata.

Efficaciſſimum mihi ſane remedium fuit Geum in quamplurimis aliis mortalium affectionibus & infirmitatibus. Egregiae eius antiſepticae virtutis in putridis & malignis febribus quotidie oculatus ſum teſtis, &, me iudice, Corticem longe exſuperat. Atoniae nervorum prae omnibus hucusque approbatis vegetabilium generibus inſigniter roborando auxilio venit. In diarrhoea, dyſenteria s), leucorrhoea, gonorrhoea minuenda, tollenda, Corticem longo poſt ſe intervallo relinquit, ut nullum certius, minorisve periculi facile invenias remedium. In ſpas-

q) *Weber* l. c.
r) Ibid. p. 23.
s) Act. Reg. Soc. Med. Hafn. Vol. I. p. 422.

ſpasmodicis affectibus, a laxitate fibrarum natales ducentibus, in chloroſi, aliisque corporis debilitatibus, illud palmam omnibus praeripere pharmacis vidi.

Si nulla Geo in intermittentibus eſſet efficacia, haec ſola virtus, quae vim & robur nervino addit ſyſtemati, magnis in civitatibus vehementer labefactato, ſatis digna videretur, quae ad eius uſum medentes alliceret. Cum hi effectus & manifeſti & tuti, & tonica exigunt quamplurimi morbi, maxima me cepit admiratio, quod practicorum pene omnes, quantum novi, tentaminibus quibusdam, in intermittentibus factis, contenti, medicinam in aliis morbis neglexerint t). Si *Aniou*, *Weber* u), *Calliſen* v), & *Ranoe* x) excipias, & noſtrum *Meza* ſeniorem, qui

t) Medicorum ſuecorum tentamina commemoravit Ill. *Murray* in Apparatu Med. Vol. III. p. 129. Hi haud magna in intermittentium curatione uſi ſunt fortuna. Hocne pharmaco inerti, an epidemiae contumaciae adſcribendum ipſi diiudicent. Quod vero ob hae ſiniſtra ulterioribus deſiſterent tentaminibus, gentis huius in omnibus, ad naturae regna pertinentibus, ingens ſolertia, atque in medicis aſſiduus labor credere vetat.

u) locis cit.

v) Act. Reg. Soc. Med. Hafn. l. modo citato.

x) Ibid. p. 334. 336. 455.

qui nuper in regia noſtra ſocietate medica haud pauca variis in morbis fauſte inſtituta tentamina recitavit, nullum ſcio, qui tonicam radicis virtvtem aliis tam multis oppoſuit infirmitatibus, quae indies frequentiores, & medentium patientiam laſſant, & animo aegrorum cum ſanitate detrudunt y). An tanta nobis adhuc ſit exoticorum remediorum captatio, quibus patres, indigenorum pertaeſi, pharmacopolia oppleront, ut propria pluris non faceremus, quando illis aut efficacia adaequantur, aut longe anteponuntur? Anne tanta cuidam animi puſillitas, ut a conſuetis remediis & conſueta curandi methodo recedere nefas putaret? Utrum cuidam, quod alius invenit, turpitudini vertatur, remedium in uſum traxiſſe? An vero tantus nova periclitandi omnium animis inceſſerit timor, ut intacta relinquerentur omnia, quia iniqui quidam, proemio, honore, lucro, vel alia quacunque ignobili cauſa ducti, magna orbi medico obtrudere volumina, morborum curationes continentia, quae imitatoribus ſiniſtre ceſſerunt? Sua cuique ſit ſententia, ſuaque cauſa. Si

y) Cum ex Diarii Ill. *Baldingeri* Vol. II. p. 7. videam, magnum Moguntiae uſum medentibus eſſe Gei urbani, maiores ſine dubio ſymbolas, practicam Gei hiſtoriam perficientes, enim in poſterum polliceri poſſumus.

Si medicis noſocomiorum, non nova modo pharmaca, verum etiam plura non ſatis probata, maior tentandi accederet animus, nullum arti ſuae utilius capeſſerent opus, nullumque maius inventum, nomini honorique glorioſius. Sic uniuscuiusque remedii vero uſui veritatis infallibile imprimerent ſigillum, & illam ſcientiae medicae partem, ſcientiam nempe medicaminum, luce ubivis fulgente, ad ſummum efferrent acumen. Enorme vero generi humano & arti eſt irreparabile damnum, quod horum virorum quamplurimi, ob multitudinem aegrorum, ibi loci accumulatorum, maxime vero ob privatam extra noſocomium praxin, ad certum perveniant negligentiae gradum, ſelectisque ſibi remediis, methodoque ſemel accepta, contenti, nec illa nec hanc mutent unquam, etiamſi meliora docti.

Haec dicta ſunto, ut D. *Ackermanni* voto ſatisfaciam. Plura & fauſtiora ei in votis habeo tentamina, ſi non, ut plurimi alii, paucis haud optati eventus periculis deterritus ab omni huius radicis deſiſteret uſu, quam tamen, quodcunque etiam ei omnes obiiciant dubitatores, in poſterum fore remedium, generi humano, inprimis vero omnibus pauperibus & ruricolis ſalutiferum, ab inventionis initio ſum auguratus, & iam iam auguror.

Hafniae d. 8. Iulii MDCCLXXXVI.

3.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

HERPETIS NATURAM ATQUE CAUSAS LUSTRANS.

QUAM PRO

GRADU DOCTORIS

IN

MEDICINA AC CHIRURGIA

PUBLICE DEFENDET

Auctor

Ioannes Henricus Gempt

Burgo - Steinfurto - Gueſtphalus.

VII ANTE CALENDAS OCTOBRES MDCCXC.

Marburgi Cattorum

Literis novae typograph. academ.

PATRI PIE COLENDO

CONRADO GEMPT

CELSISSIMI S. R. I. COMITIS REGNANTIS

IN BENTHEIM - STEINFURT REL.

PHARMACOPOLAE AULICO

haſce ſtudiorum ſuorum primitias

ſacras voluit eſſe

filius obedientiſſimus

Auctor.

PRAEFATIO.

Multa mihi de obiecto diſſertatiunculae, ritibus academicis ut ſatisfiat, exarandae, cogitanti, ſeſe obtulerunt argumenta, ulterioris indaginis digna: quare autem herpetem prae aliis dilucidandum mihi ſumſerim, paucis hic explicare iam animus eſt. Praecipua conſilii cauſa eſt huius morbi dignitas, maior certe ac primo intuitu Tibi videri poſſet. Pruritum taceo, inquietu-

dines, dolores, aliosque cruciatus inde pendentes. Nec deformitatem foeditatemque reſpicio, licet ſaepe ſaepius tantae ſint, ut hominum conſortium fugere, vitamque ſolitariam vivere cogantur hoc morbo detenti. Alia plura ſuperſunt, quae morbum, externum licet, ſat gravem, discriminisque plenum reddunt.

Frequentia affectus noſtri tanta eſt, ut, ſaltim in quibusdam regionibus, familiare admodum generi humano ſupplicium dici mereatur. Ipſe ego, medicinam non multis ab-

abhinc annis ſecutus, plurimos hoc malo cruciatos, miſereque inde laeſos vidi, quibus plurimis ſanitatem integram fuiſſe reſtitutam adhuc laetor. Occultatur vero ſaepius foedus noſter morbus, et quidem praecipue ab iis in ſexu ſequiore, quibus nondum affulſit Hymenaei laetus dies. Rarior hinc eſſe videtur, qui ſaepiſſime affligit. Pro morbi porro frequentia magnus numerus militat cauſarum, quae ingenerando huic cutaneo favent malo, cuiuscunque materiei morbificae ſobole, teſte Poupart.

Gravitati thematis aliud momentum addit medelae difficultas. Curatu difficillimum eſſe hoc exanthema nemo eſt, qui ignoret, nec quicquam obſtat, quo minus in ſcandalis medicorum maximis primum quendam teneat locum herpes. Theſin modo propoſitam cuiusvis medici, etiam dexterrimi, experientia probat: ſcepticus vero ingentem eorum remediorum luſtret farraginem, quae a primis inde artis medicae incunabulis ad noſtra usque tempora *ſpecifica* in morbo herpetico fuêre decantata. Semper enim

a remediorum numero, ad morbi, cui certe tutoque mederi dicuntur, pertinaciam valet concluſio. Laudes haſce nec celeberrimo inter vaſtum antiherpeticorum agmen merito tribui, multorum proh dolor probavit experientia.

Nec aequo animo omnem herpetis curationem fert natura. Heu quam immenſa eſt et formidabilis morborum turba, qui herpetem male curatum excipiunt. Exemplis obſervatorum fere omnium ſcripta abundant, quae hic ſingula allegare locus vetat. Phthiſin pulmonalem

ſolam

ſolam nominabo, quae ex herpetis metaſtaſi gignitur frequentiſſima; *Raulino*, aliisque id teſtantibus.

Multum etiam, ut de hoc obiecto verba potiſſimum facerem, impulit defectus libri cuiusdam, qui omnia herpetem ſpectantia concinne ſatis atque ſummatim exponeret. Cel. Poupart huic quidem deſiderio iam ſatisfeciſſe videtur, et omnino optimo de herpete ſcriptori plurimas debemus grates. Sed ex eo tempore, quo Poupart librum ſuum celeberrimum publici iuris fecit, plura innotuêre eruditorum cogi-

gitata, nec tenuiſſima inter haec fertilis tulit Germania. Singulae vero, et hinc inde ſparſae vel ſunt, quae prodière obſervationes, vel in tranſitu quaſi pro compendii more morbum noſtrum dilucidarunt doctores, vel remedio nuperrimo cuidam ſolum inhaerentes, cauſas neglexerunt ac accuratam morbi hiſtoriam, vel omnino pluríma notatu digna plane praetereundo, mancam admodum exhibuerunt morbi ideam.

Is quidem ego non ſum, qui omnes hoſce defectus ſimul atque ſemel emendandos ſuscipiam, eaque

evul-

evulgaſſe jactarem, quae omnem, ut dicunt, paginam abſolverent. Abſit talis inſolentia a tirone, qui, ſe primas tantum medicinae lineas qualitercunque mente complexum eſſe, admodum laetatur. Contenderem potius, verſatiſſimum adeo in arte medica virum dirimendis omnibus, quae circa exanthemata chronica reſtant, dubiis atque obſcuris, imo alta caligine obductis, imparem eſſe. Sed tentandae erant in vitae academicae termino vires, et exhibeo ea, quae pro virium modulo, anguſtis temporis limitibus circumſcriptus,

dare

dare poſſum. Alius forſan, me fortior, ſcriptiunculae huius vitia perſpiciens, incitabitur, ut eandem materiem omni cura ac ſtudio pertractet, libellumque exhibeat aere perenniorem. Si vero (id quod de tenuitate mea nimium perſuaſo, ſperare non licet) eruditorum laude non omnis carerem, cunctos certe intenderem nervos, ut aſſidua diligentia, exercitatiori iudicio, et accuratiori ſtudio, maius otium et cognitionis quaevis incrementa eo dirigerem, quo inutile iam propoſita, minus recte falſeve dicta optime

emendando, maior ſcripto olim academico adderetur utilitas.

Conſtitueram quidem mecum prognoſin et therapiam adhuc addere, et digeſſi quoque omnia huc ſpectantia. Sed magnum me cepit deſiderium Berolinenſes videndi muſas; quare temporis habenda eſt ratio, atque in aliud tempus magis commodum ea differenda duxi, quae de herpetis curatione mihi innotuerunt plurimorum autorum diverſiſſima cogitata, quaeque propria exhibuit experientia.

CAP. I.

CAP. I.

MORBI SYNONYMA EXPENDENS.

Pauci ſolummodo morbi tot variisque nominibus ſunt inſigniti, ac ille, quem mihi exponendum ſumſi. Rationem ſi quaeris facile invenies, dummodo ad variam faciem, quam ſaepenumero herpes induit, reſpicere velis, variamque mali huius ſedem attento paululum animo perpendere tibi placeat. Multiplices haſce denominationes plurium in praxi errorum uberrimum exſtitiſſe fontem ſponte patet. Medici enim de vera morbi natura parum ſolliciti, cuivis formae, a conſueto tramite paululum aberranti, ſpecificum parare fervidi annitebantur, haud perpendentes, formam morbi locumque quem vexat, minoris ſaltem in

in praxi eſſe momenti, nec niſi perſpecta demum morbi natura ac indole, optimum et maxime quadrans adminiſtrari poſſe remedium. Hinc illa nominum caterva, quae ut ignorantiae aſylum haberent, praeſertim eo proceſſiſſe videtur.

Primum, morbo nomen dederunt, qui infantilem artem noſtram ſcientiam eſſe voluerunt graeci. Ab ἕρπειν ſerpere dixerunt ἕρπης, vel ἑρπάδων vel ἑρπουστικὸν ἕλκος. Optimum hocce, adhucdum uſitatiſſimum, videtur cognomen, cum attributum quoddam externum deſignet, morbo noſtro tantum non ſemper familiare.

P L I N I U S ſub titulo ζωστὴρ morbum noſtrum deſcribit, S C R I B O N I O *Compoſ.* 247 vero *zonae* nomen eſt. Vocabula haecce vel

a ζωννύω cingo (partem enim corporis quamdam interdum cinguli inſtar circumdat zona) vel a ζέω ferveo (quod pruritum valde injucundum urentemque cieat) originem duxiſſe videntur. Idem nomen ſecutus quoque eſt CELSUS L. 5. Cap. 28.

Recentioribus vero temporibus Zonae vel Zoſteris nomen eryſipelatis rariori cuidam ſpeciei datum eſt *a*), quae medium corpus vel omnino, vel magna ſaltim ex parte cingit, ad genua usque ſaepius extenditur, et veſiculis acerrimo humore repletis, febre validiſſima, deliriis, doloribusque vix ferendis ſtipatur. Affectus hicce, quem *ſacrum ignem* vel *Sti An-*

a) SEVERINUS de recondita abſceſſuum natura, C. IV. C. 9. §. 11. p. 223.

Antonii alii vocant, acutum ſervat decurſum, imo quandoque lethalem habet exitum: non ita herpes, qui chronicus eſſe, lenteque aegrum torquere conſuevit. Negari tamen nequit, hanc eryſipelatis ſpeciem herpeti valde eſſe confinem, herpetem ſaepius eſſe eryſipelatoſum, gaſtricaeque indolis *b*). Plura invenies in OPTIMI BURSERII *Inſtitt. Med. Pract. Vol. II. Cap. II. III.*

DARTAM alii vocaverunt a δέρω *excorio*, quam denominationem Galli aptam ſatis habuerunt, quae in linguam ſuam transferretur.

Plu-

b) Clar. RICHTER *Anfangsgründe der W. A. Kunſt, B. I. Cap.* 4. *S.* 104. FR. AUG. SCHWARTZ (praeſ. IUNKER) de zona ſerpiginoſa. Halae 1745. 4.

Plurima recenſenda reſtant epitheta, a latinis autoribus herpeti adſcripta. Tanta autem hac in re exſtat confuſio, cui dirimendae me omnino imparem confiteor. Praeclare ideo *Ill.* R. A. VOGEL *c*): „*Diſcrepans enim* „ *admodum vagusque et inconſtans nominum* „ *uſus in hoc vitiorum genere frequentiſſime* „ *deprehenditur, unde non parum redundat* „ *difficultatis ad dignoſcendas veras affectio-* „ *num ſpecies.*"

Exactam ac adaequatam cuiusvis ſynonymi notionem non extricare valemus, fortaſſis nec ipſis autoribus ſemper fuit. Nonne igitur melius eſſet, omnia chronica cutis exanthemata, quorum exacta ſatis ac accurata non dantur diagnoſtica ſigna, uno eodemque complecti no-

c) D. de vitiligine, Götting. 1764. Pag. 8. 9.

nomine, nullo ad diverſiſſimas denominationes habito reſpectu? Sic videtur. Arti maximum inde naſceretur compendium, errorumque largiſſima obſtrueretur ſcaturigo. Nec video, quid obſtet, quominus univerſale quoddam nomen deligamus intactis aliis confundentibus, cum ſemper in praxi ad cauſas reſpiciendum ſit, et empiricorum in modum ſi etiam agere cogamur, tamen eadem remedia magno cum fructu morbis cutaneis, quoad nomen diverſiſſimis, opponere ſoleamus. Omne quidem chronicum cutis exanthema alii ex hac claſſe propinquitatis vinculo iunctum eſt, nec in omni caſu limites exacte determinatos ducere licet: Sed, ſi tamen nominibus opus eſt, iis ſolummodo efflorescentiis peculiare addamus cognomen, quae ſuis ſignis, ut plurimum ſaltim, certo dignoſcuntur. Pertinere huc videntur *Scabies*, *Elephantiaſis*, *Lepra*, *Vi-*

ti-

tiligo, Tinea, Cruſta lactea d), Pians l. Jaws, Pelagra. Alias chronicas puſtulationes,

d) Clar. Bell *Abh. von den Geſchwüren und deren Behandl. Leipz.* 1779. *S.* 124. nec tineam nec cruſtam lacteam genus quoddam ſingulare eſſe contendit, autumans ſingulum huncce morbum commode ſatis herpeti adſcribi poſſe. Sed eſſentialis quamvis diverſitas nondum innotuerit, Clar. tamen viro contradiceres forſan: *a.* enim hi morbi tantum non ſemper infantili ſolum aetati infenſi ſunt *b.* topicam quandam ſingularem curationem requirunt, cum ſemper partem quandam determinatam prehendant. *c.* Cruſtae lacteae ſpecificum plurimis eſt *Iacea tricolor*, quae raro multum contra herpetem poteſt. Sed ingenue fatendum argumenta haecce Clar. Bell non omni ex parte refutare. Dandum interim aliquid receptae conſuetudini, ne inſuetis ac novis nimium inhaerere videamur, quare et mihi veterum herpetem inter, tineam ac cruſtam lacteam diſtinctio magis placeret.

nes, prioribus titulis non ſubjacentes fortaſſis non inepte univerſali nomine HERPETES diceres. Ita certiſſime raro dubius haerebis, quale morbo competat nomen, nec eodem iure duo facile tribuere poteris anceps. Eo maiori fiducia haecce appoſui, autoritate fretus Clar. UNZER e). Graphice admodum vitia circa morbos cutaneos brevi perſtringit Cel. autor.

Sed ab inſtituto nimium digreſſus in viam redeo, ſingula iam ſynonyma adducturus.

LICHEN aliud eſt, nec infrequens herpetis ſynonymum. Diverſum quidem cenſent plurimi e quibus CEL. R. A. VOGEL nomi-

e) *Med. Handbuch, Leipz.* 1789. *Th. I. S.* 463.

minaſſe ſufficiat, cui genus 462 *lichen* vel *impetigo* audit. Eſſe autem *maculam ſubrubram aſperam, duram, ſiccam cum ingenti prurigine* aſſerit *f*). Verum enim vero alium plane ac VOGELIUS, hoc ſub titulo deſcribit morbum Cel. LORRY *g*): *Pruritum* enim *conſtanter fere abeſſe nec unquam humidi quidpiam in ſicco et aſpero hoc cutis morbo deprehendi* contendit. Porro idem Clar. LORRY l. c. 243. et Cel. POUPART *h*) ſub lichenis titulo ab Hippocrate aliisque herpetis quandam ſpeciem *farinoſam* deſcribi docent.

f) v. eius Prael. ex edit. TISSOT. Lauſannae 1789. T. II. pag. 300. §. 706.

g) Tractat. de morbis cutaneis. Pariſ. 1777. 4to maj. pag. 242.

h) *Abh. von den Flechten. Aus d. Franz. von Conrad. Strasb.* 1784. p. 5.

cent. Exp. CARTHEUSER *i*) ex gradu diſtinguit herpetem miliarem et lichenes. Lichenem ad herpetum genus quoque refert TURNER *k*). Et revera tenue adeo diſcrimen utrumque intercedit morbum, ut ſub communi voce recte comprehendi videatur, praeſertim cum ſaepius lichenes ſucceſſu temporis in veros herpetes degeneratos eſſe, notum ſit. Lichenes alii, praeſertim Arabes dixerunt *Zernam*, *Petiginem*, *Derbicam*, *Sylvaticum*, *Aſaphatum*, *Volgarium*, *Ignem volaticum*, *Volaticam*, *Sarpedinem*, quae ſynonyma hic apponenda cenſui: herpeti enim com-

i) Reſp. VIRMOND de potioribus morbis cutaneis. Frcf. ad Viadr. 1760. pag. 23.

k) *Von den Hautkrankheiten*, *Th. II. Kap.* 5. *S.* 136. *u. folg.*

competant, neceſſe eſt, ſi unum eundemque cum lichene eſſe morbum, iam adſtruxerim.

Herpes quoque haud raro IMPETIGO (*Impetix*, *Petix*, *Petigo*, *Rhazit*, *Haraz*, *Kuba*) ſalutatus eſt. Verum ex accurato ſcriptorum veteris aevi ſcrutinio patet, ſub hac voce non unicum morbum fuiſſe deſcriptum, ſed genus quoddam eo indigitatum fuiſſe ſuperius, plures ſimul complectens ſpecies. Ita LORRY l. c. 348. Hinc etiam Cel. BOISSIER DE SAUVAGES Claſſis ſuae X. ordinem V et Ill. CULLEN Ord. III Claſſ. III. *Impetigines* ſalutaverunt nomine univerſali, nec *herpeti* hic aſſignarunt locum. Clariſſ. LORRY l. c. 349. 350 impetiginem veterum quorundam nil aliud eſſe ac herpetem miliarem adſtruxit, cui ſimplicitati ſtudens lubentiſſimus adſentior.

SER-

SERPIGINEM, *ſerpentem*, alii, graecam transferentes vocem, noſtrum dixere morbum. Cel. quidem LINNE' diſcrimen adeſſe putat, cum in hac *puſtulas eſcharoticas*, *baſi communi eryſipelacea* adeſſe, in *ſerpigine* vero, *puſtulas ſiccas*, *obſoletas*, *ſerpentes*, *ſubfarinaceo desquamantes* videri contendat *l*). Sed cum Clar. R. A. VOGEL genera morborum diſtincta minime coniungere ſolito, ambos hoſce affectus unum eundemque eſſe morbum affirmo. Autor modo laud. etiam *purpuram*, quam vocant, *ſcorbuticam ad ſerpiginem veriſſimam referendam* eſſe merito monet, ideoque et haec ſub generaliori herpetis titulo merito collocatur.

Nec

l) Idem jam cenſuit BALLONIUS Conſ. C. II. Conſ. 28. HELLWIGIUS vero Obſ. phyſ. med. ſerpiginem unum idemque eſſe cum herpete aſſerit.

Nec ex ſola exteriore morbi facie natales duxerunt ſynonyma. Etiam ex parte quadam primario infecta, non raro ſingulare quoddam nomen effingere operae pretium duxerunt noſologi veteres, male ſeduli. Huc praecipue pertinere videtur MENTAGRA, quae regnante Tiberio Claudio Caeſare primum in Italiam irrepſiſſe dicitur, graeco nomine *lichen* dicta *m*). Uberius hac de varietate agere non licet: plura ſcire qui cupit adeat PLINIUM eiusque interpretes, praecipue vero FRID. SARTORIUM *n*), qui locum huc ſpectan-tem

m) C. PLINII SECUNDI Hiſt. nat. L. XXVI. Cap. I.

n) Diſſ. de mentagra, praeſ. IOHRENIO Frcf. ad V. absque anni inſcriptione habita. — Novum non fuiſſe morbum demonſtravit Clar. GRUNER morb. antiquitat. Sect. II. Art.

tem prolixe ac diſerte ſatis ex profeſſo explicavit.

Sub titulo IGNIS SACRI CELSUS o) herpetis duas ſpecies deſcribit, paululum diverſas ab invicem.

Arabibus p) herpes ſub voce μυρμηκιων *formica* notus erat, cui quandoque *corroſivae* epitheton addebant, ſi morbi maiorem gradum deſignare placeret.

Porro

Art. 7. p. 162 ſeqq. Vid, etiam HIERON. MERCURIALIS de Morbis Cut. et omnibus C. H. excrementis. Venet. 1625. 4to, pag. 93.

o) De medicina, L. 5. Cap. 28. pag. 198.

p) AUICENNA Fen. 3. tract. 1. Cap. 6.

Porro voces *Ilhaza*, *Haraz*, *Kuba*, *Derbica*, *Saphatum*, *Aſaphatum* paſſim in eorum ſcriptis occurrunt, ſi de herpete ſermo eſt.

PARACELSO *q*) veteribus inimiciſſimo nullum cognomen in hunc morbum quadrare placuit, LUPI nomen herpeti tribuendum autumans, voracitatem forſan reſpiciens.

Sunt demum alii, qui nulla morbum noſtrum peculiari denominatione egere crediderunt, deſcribentes eum ſub vocabulis generalioribus *phymatum*, *papularum*, *puſtularum* et *phlyctaenarum* *r*).

Nec

q) Tractat. de ulceribus, Cap. 7. p. 576.

r) CELSUS. FERNELIUS L. VII. de ext. affect. Cap. IV.

Nec in ſola latina lingua ſynonymorum occurrit farrago. Gallos autem fere ſimpliciſſimos invenio.

Dartre commune et tritum eis nomen eſt: quandoque etiam, ſed rarius, vocibus minus definitis *Galle*, *Gratelle*, *Tigne*, *Feu volage* utuntur.

Angli herpetem dicunt *Tetter*, *Ringworm*, *Shingles*, *Hairworm*, *Dewworm*, *wild Fire* s).

Bel-

s) Anglorum plurimi indefinite admodum de cut. morbis loquuntur. Paſſim *ſcorbuti* titulo univerſam hancce claſſem inſigniunt, alii vero ſpecies valde confundunt. Secundum Celeb. Fr. Home *Cliniſche-Verſuche und Leichenöfnungen, aus d. Engl. Leipz.* 1781, p. 469. 470. *Lepra Graecorum* et *herpes* ſunt ſynonyma, qui tamen morbi omnium conſenſu ſunt diſtinguendi.

Belgis familiaria cognomina ſunt, *de Hair-worm, Droog-Krauſſel, vuurige Schurftheid, Ringworm, Dauworm, de Wolf.*

Vernacula lingua nec ſynonymis caret: Solennia ſunt: *die Flechten* (nomen a lichene deſumtum) *Schwinden, Schwindflecken, Zittermaal, das heilige Feuer, die Ameiſe, der freſſende Wolf, der Abgang, die Räude, die Daar, der Anſprung, Zitterich, Dorrweg, der Flug.*

Monendum denique adhuc eſt, ne erraſſe videar, quae modo enarravi ſynonyma non ſoli herpeti, ſed pro confundentium more pluribus adhuc, iisque partim diverſiſſimis, exterioris cutis morbis, fuiſſe adſcripta. Sed non raro his ſub titulis herpetem paſſim eſſe pertractatum, nemo dubitabit paululum verſatus.

CAP.

CAP. II.

MORBI DEFINITIONEM EXHIBET.

Recenſitis iam ſynonymis ad morbum definiendum me ducit dicendorum ordo. Sed ingenue illico fatendum, me exactum ſatis, quae omnibus ſatisfaciat Logices regulis definitionem proponere non poſſe. Hoc certe primo aſpectu plurimis videbitur deplorandum, captum ſuperans: morbus enim externus, chronicus, ſenſibus percipiendus, quorum fraus minor pleſumque eſt ac ratiocinii. Medicam forſan artem incertam inde atque dubiam habebunt obiicientes. Definitionem enim morbi exhibere qui nequit, morbi quoque naturam atque eſſentiam perſpexiſſe non videtur. Sed difficultatis cauſa in eo latet, quod morbi facies admodum inconſtans ſit atque polymorpha, nec ſemper eadem incedat via atque ratione.

Cre-

Credendum interim non eſt, ſolum herpetem exacta definitione carere. Schola plurimorum morborum exhibet definitiones, quae ſubtiliorem disquiſitionem non admittunt. Sed nec ſola definitio medicum practicum format: lubens iis caret, qui omni morbo certam parare poteſt medelam.

Magni in arte noſtra viri in definiendo herpete me non fuiſſe videntur feliciores. Liceat mihi recentiorum quorundam hic apponere definitiones, quo quisque illam ſibi eligere poſſit, quae optima videtur.

Def. Boissier de Sauvages: *Efflorescentia ex tumoribus exiguis rubris aggregatis, pruriginoſis, in ſquamas furfuraceas, raro cruſtaceas, abeuntibus.* *Def.* *Cel.* a Linne': *Puſtulae eſcharoticae baſi*

com-

communi eryſipelacea. *Def. Clar.* VOGEL: *Papula ardens cutim ſerpentibus minimis puſtulis erodens.* *Def. Ill.* CULLEN: *Phlyctaenae vel ulcuscula plurima, gregalia, ſerpentia dyſepulcta:* *Def. Cel.* PLENK *t*) *papularum chronicarum ichoroſo-ſquamoſarum ſemper ulterius ſerpentium agmen.*

Non magna contentione opus eſſet, ut oſtendam, definitiones modo laudatas, vel definitionis veram caracterem non prae ſe ferre, vel alio etiam vitio laborare ſat gravi. Accuratiorem vero nec ego apponere audeo: illam enim dare non poſſum, quae omnes herpetes caperet ſpecies, cunctos ſimul ſecludens alios morbos. Deſcriptionem addere facilli-

t) Doctrina de Morbis Cut. Vienn. 1783. p. 65.

cillimum quidem fuiſſet, ſed cum in decurſu eadem repetere debuerim, chartae parcendum eſſe duxi. Nec eſt, cur anxie definitioni inhaeream, cum ex morbi decurſu, infra fuſius exponendo, facile pateat, num in aegro quodam adſit herpes nec ne? *Facilius plerumque eſt rem praeſentem diſcernere, quam verbis exacte definire*, praeclare dixit GAUBIUS u). Et ſi etiam diagnoſis non ſemper abſolute certa ſit, quid inde diſcriminis? Nonne omnes chronicas cutis efflorescentias eadem fere ſanamus methodo? Specifica ſi adeſſent, operae certo pretium foret maximae, in diagnoſticis deſudaſſe morbi ſignis.

---

u) Inſtitutt. Pathol. med. §. 81.

CAP.

CAP. III.

DIVISIONES LUSTRANS.

Diſquirendum iam eſt, quae ratio herpetis externam faciem adeo ſaepe immutet. Cauſae vero huc facientes plurimae afferri poſſunt, quarum praecipuas diiudicaſſe ſufficiat: aliae enim, inter quas *ſexum*, *vitae genus*, *clima*, *anni tempus* refero, in immutandis herpetum ſpeciebus nil valere videntur, quamvis maximae ceteroquin in hominis ſani pariter ac aegroti conditionem ſint efficaciae. Primariae vero cauſae, quae proferri poſſent, mihi videntur eſſe:

1. *Partium quas herpes tenet differentia.* Contendunt autorum plurimi quamvis ſpeciem partem quandam prae aliis amore proſequi. Sic e. g. herpes in partibus gene-

generationi dicatis obvius ſemper fere ſquamoſus eſt, ex peculiari cutis conditione teſte POUPART *v*). BERTRAND DE LA GRESIE *w*) contendit herpetem, qui brachia, manus, femora, atque partes genitales laedit ut plurimum eſſe miliarem. Non vero ita ſentit Clar. BELL l. c. 223 qui partes circa lumbos pectus, genitalia, anum, ſcrotum et inguina ut plurimum ab herpete miliari corripi narrat. In inſigni opere cui titulus: *Encyclopedie ou Dictionaire uni-*

verſel

v) *Zuſäze zu* Pouparts *Abhandl. von den Flechten. Strasburg* 1785 pag. 13.

w) *Verſuch über die beſte Behandlung der Flechten in den neuen Sammlungen der auserleſenſten Abh. für W. Ae. St. IX*, S. 22.

verſel raiſonné des connoiſſances humaines Tom. XII. Art. Dartre invenio collum, pectus, lumbos, coxas atque femora potiſſimum h. miliari laborare. Cel. LORRY l. c. 305 h. miliarem nunquam in facie vidit; et ibid. 407 monet, qui partes genitales regionesque vicinas affligit eſſe excedentem, cum tamen autores modo laudati miliarem eſſe doceant, vel ſquamoſum. Ex obſervatorum igitur, quorum aliquot ſaltim adduxi, diſſenſu patet *locum affectum minoris certe in mutanda herpetis facie eſſe momenti.* Quamcunque corporis partem, quaevis herpetis ſpecies opprimere poteſt, nec ullus datur locus, propriam ſibi qui vindicet ſpeciem.

2. *Diverſa aegri conditio.* Nec haec ſola ſufficit, quamvis attenta obſervatio im-

mu-

mutantes vires forſan aliquando docebit. Temperamentum enim minime inconſtans adeo eſt, ut pauci dies id immutare valeant. De herpete autem conſtat non raro unam ſpeciem in aliam abire. LORRY l. c. 307.

3. Alii *cuivis ſpeciei ſpecificam materiem tribuere* poſſent, ita ut tot miasmata varia numerarent, quot ſpecies cuivis ponere placeret. Sed nec in horum ſententiam ire lubet, cum idem argumentum de transmutatione ſpecierum (nro 2) et huc quadret. Et ſi etiam firmum ſatis tibi non videretur, qui fit quaeſo, ut ſaepius plures ſimul herpetis ſpecies in uno eodemque homine videantur? LORRY l. c. 316. An plura miaſmata ſui generis plane diverſa eodem momento in corpus agere poſſunt, ſalva cuiusvis propria

 natura?

natura? Et, an in perpetuo illo movendorum circulo accurata ea miaſmatum disiunctio perſiſtere poteſt, ut ſemper alterum in partem ſibi determinatam agat, relictis plane aliis? Non videtur ſane. Sed ſi morbus mere topicus eſſet, quid tunc? Operae igitur pretium foret, inoculationem, quam dicunt, et hic tentaſſe: plurima enim dubia removeret, quae jam ratiociniis magis fallacibus ſunt eruenda.

4. *Diverſa cauſae efficacia* principem certe attentionem meretur. Facilius omnia inde explicantur: major cauſae fortioris ſit effectus minor debilioris neceſſe eſt. Secundum hanc imaginem *farinoſus* minimum, ſecundum *puſtuloſus*, ultimum vero et maximum *exedens* teneeret gradum. Nec ſola theoria hypotheſin tuetur, praeſidio quoque eſt experientia. Herpetis enim

minor

minor gradus, ſi neglexeris, tranſit ſaepiſſime in graviorem, hic vero iuſta adhibita medela in leviorem mutatur ſpeciem, antequam omni ex parte diſcedat *x*).

Omnis ergo herpes gradu tantum differet, natura idem. Non dixerim tamen nullam aliam exiſtere poſſe cauſam, quae mutationem inferre valeat. Multum forſan confert cauſae ipſius varia indoles atque natura. H. ſyphiliticum plerumque eſſe ſquamoſum annotat ROUSSEL, ſed addit idem non raro quoque miliarem ex hoc fonte ducere natales *y*). Clar. GIR-

x) LORRY l. c. 304. 307. POUPART *Zuſätze* pag. 14.

y) POUPART *Zuſätze* 12.

Girtanner z) eundem quoque herpeti venereo caracterem addit: puſtulationes enim, de quibus verba facit, ad herpetum genus pertinere non dubito, quamvis peculiare nomen illis non tribuit.

Ex praecedentibus veroſimillimum igitur eſt, omnem herpetem *gradu tantum* differre, id quod etiam aliae comprobant cauſae paſſim recenſendae. Hinc ſpecies exacte determinari non poſſunt, cum ſenſim ſenſimque in ſe invicem tranſeant arctis atque definitis limitibus minime circumſcriptae. Diviſiones igitur, quas natura non poſuerat, quisque fere ſibi finxit pro lubitu, hinc autorum maximus diſ-

ſenſus

z) *Von den veneriſchen Krankh. I. Band*, pag. 291.

ſenſus in re plane aequipollente. Varias variorum diſtinctiones adducere nefas foret, nec ipſe ulla diviſione opus eſſe crederem, niſi hac poſita morbi deſcriptio facilior videretur, atque magis perſpicua. *Unicum* vero diviſionis fundamentum ſequi oportet, ne in infinitum diſtinguamus. Erraſſe ergo videntur cum aliis Cel. BOISSIER DE SAUVAGES *) et Cl. PLENK l. c. 62 inter varias ſpecies *h. ſyphiliticum* quoque recenſentes, quaſi hic ſingulari nomine indigeret. Ex cauſa venerea quamvis herpetis ſpeciem originem ſumere poſſe notiſſimum eſt: ſi vero ſecundum cauſas diſpeſcere voluiſſent Cel. VIRI, quare ex ingenti numero hanc modo recenſent? Diviſio

*) Noſol. Method. Amſt. 1763. 8. T. II. P. I. pag. 19.

viſio ratione cauſarum optima certe foret, cum ſtatim medendi juſtam monſtret methodum. Dolendum interim, cauſas ut plurimum alta adeo caligine eſſe preſſas, ut ſaepe ſaepius eas ſuſpicari ne quidem liceat. Non omnes porro nobis innotuêre cauſae, quae ſequenti aevo inveſtigandae reſtant. Diviſio ergo ſeculo forſan vigeſimo optima, nobis pararet errorum ditiſſimum fontem. Omnes vero herpetis differentiae commoda ſatis ſerie diſponi videntur, ſi tres numerem gradus, *farinoſum* nempe, *puſtuloſum* et *exedentem*. Hanc ergo ſequi diviſionem animus mihi eſt, eos vero nequaquam reprehendendos cenſeo, quibus alia magis arrideat.

An vero omnis morbus *herpes* dictus nomen, hocce meretur? vel potius, ignorantia diverſiſſimis morbis commune hoc impoſuit nomen?

men? Anne poſterius confirmat diverſa medicamentorum vis, quae modo morbum cito tollunt, modo autem nil plane efficere valent, religioſiſſime etiam ſi adhibueris? Contradicere cogor. Delirare enim paululum videretur ille, qui cauſarum remotarum pariter ac occaſionalium variam perſpiciens indolem ſpecificum adhuc quaereret, nullo prorſus ſtudio parandum. Variam morbi faciem affirmantibus non fauere ſupra jam monui. Abſit tamen, ut omnes eſſentiales differentias morborum, quos *herpetes* dicere ſolemus, pernegem: *Tantae enim tenebrae chronicos cutis morbos tegunt, quas nec Argus inter medicos perſpicere poſſet.* BELL l. c. 220. Id ſolum arguo, rem incognitam ſubtiliſſimis diſtinctionibus ne hilum quidem inclareſcere, confundi potius. Conſultius ergo erit, omnes, quorum externa facies ſuadet, morbos *herpetes* dicere, atque remediis

diis aggredi ſiducia digniſſimis, uſque dum penitior indagatio horum morborum noſologiam aeque ac therapiam certiorem fecerit, obſcura quaevis debellando.

CAP. IV.

DECURSUM ENARRANS.

Quae omni herpeti communia ſunt merito ſpecierum vel potius morbi graduum deſcriptionem antecedunt. Pauca igitur huc ſpectantia praemiſiſſe juvabit.

In genere omnis H. eſt morbus chronicus acutum tamen quandoque decurſum ſervat, vel ſaltim ſymptomata adſunt febrilia, quorum cauſas in exanthemate illo forſan non quaereres. Senſim ſenſimque ut plurimum in cutim prodit,

dit, praegreſſo ſemper quodam pruritu. Rariſſime in unica tantum parte perſiſtit circumſcriptus, ſed brevi diſſitas etiam regiones invadit. Nulla corporis externi pars immunitate fruitur, volis manuum et pedum plantis non parcit, craſſisſima cute quamvis tegantur. Partes veſtimentis fotae prae aliis ei arrident, et ex his demum in alias tranſit vicinitatis iure. Veſicam urinariam et vaginam ad uterum usque *a*) quandoque occupat, dolores ſummos, haemorrhagias, fluorem album, iſchuriam vel ſaltim urinae difficultatem movens *b*), vel ſtillicidium *c*). Ut plurimum ſaltim in initio, partem intra articulationem quandam mediam pre-

a) Bertrand. de la Gresie l. c. 18.

b) Sauvages Claſſ. IX. pag. 386.

c) Poupart l. c. 84.

prehendit, ſaepius quoque in ipſa articulatione primario et unice apparet.

Nulli parcit aetati: Infantibus autem minus familiaris prodire ſolet ea aetate, qua omne incrementum abſolvit corpus *d*). Sexui ſequiori alias non adeo frequens, infeſtus ſaepius eſt ceſſantibus ob naturae legem menſtruis.

Duae ſunt periodi, quibus aegrotos plurimum vexat, tempore nempe decubitus, et aliquot poſt paſtum horis, quibus chylus ſanguinem intrat.

Cauſa h. materialis ſaepiſſime intus latet, nec ullis ſignis externis ſui praeſentiam prodit. Adſunt quidem plurima ſymptomata nervos

d) FRID. HOFFMANN Med. rat. ſyſt. T. III. Cap. 9. §. 15. FRANC. HOME *Clin. Verſuche* 469. 470.

ves irritari teſtantia, ſed inde ſtatim ad herpeticum virus concludere nefas foret. Morbi quos nervoſos appellant ſaepius certe, quam vulgo creditur, hancce cauſam agnoſcunt abditam.

Veris ut plurimum eſt ſoboles, quod efflorescentiam per omne regnum vegetabile pariter ac animale diffundit. Aeſtate fervente maxime furit. Frigoris ut plurimum impatiens hyeme quieſcit, ac e latebris quaſi fermentatione verna excitatus aegrum ſecurum denuo invadit. Haec frequentius: Quandoque autem autumnus morbi eſt parens, ipſaque hyems, mortalibus infeſta, furiam hancce alit perniciosiſſimam.

Rariſſime occurrit h. *epidemicus*. Talem obſervavit Cl. RICHARD teſte POUPART *Zuſätze 15*. Erat vero *miliaris* et *contagioſus*, nec alia ſub conditione *epidemicus* eſſe

poſſe

poſſe videtur. Eandem ſpeciem epidemicam vidit Cel. LORRY l. c. 99. In veterum quidem monumentis paſſim de h. populariter graſſante legitur, ſed evictum nondum eſt, num revera idem fuerit morbus, quem nos herpetis nomine ſalutamus.

Endemius ſaepius videtur, et quidem in *regionibus quibusdam calidis atque humidis ſimul*, quae aëris conditio perſpirationis negotio minime favet. Hinc in inſula *Java* h. valde eſt communis *e*), eiusque *Aleppi* tanta eſt ſaevitia, ut vix unicus e millenis evadat, cui nunquam intentaſſet manus *f*). Extantior quo-

e) BONTIUS de Med. Ind. l. I. Cap. 20.

f) ALEX. RUSSEL the nat. hiſtory of Aleppo, Lond. 1756. 4. pag. 282. RUSSEL treatiſe on the uſe of Sea Water, pag. 3. HASSELQUIST *Reiſe nach Paläſtina. Roſtok* 1762. 8. T. II. S. 118.

quoque frequentia eſt inter *Cayennae* incolas, quae hic et in aliis zonae torridae locis tanta eſt, ut vix hominem invenires, nunquam diro hocce morbo excruciatum *g*). Ea quidem in locis humidis atque paludoſis, quae frigido ſubjacent coelo crebritas morbi non eſt, ſed tamen abundantiam non ſolum calida parat regio. Humidam äeris temperiem merito accuſant plurimi, e quibus Cel. POUPART l. c. 54. HERM. BLUHM *h*) et EUERS *i*) nominaſſe

g) BAJON *Abh. von chron. Krankh. auf der Inſel Cayenne und dem franz. Guiane. Erfurt* 1784. *Abſchn. II.* S. 35.

h) *Verſuch einer Beſchreibung der hauptſächlichſten in Reval herrſch. Krankheiten. Marburg* 1790. S. 146.

i) *in* Schmuckers *verm. Chir. Schr. B. I.* S. 183.

naſſe ſufficiat. Clar. ACKERMAN *k*) deſidem vitam plurimum conferre autumat. Cel. TRAMPEL *l*) haud dubitat morbi ad maris littora vel fluviorum ripas frequentiam ex copioſiori piſcium eſu derivare. Vidit etiam h. ſemper adauctum in monachis, quoties carne abſtinere, piſcibusque veſci juberet religio. Clar. RAYMOND *m*) fuſe admodum atque teſtimoniis autorum numeroſiſſimis comprobavit, quantum ad morborum cutaneorum ortum faciat piſcium frequens eſus. In eadem re multum quoque deſudavit HENR. LUD. JEN-

k) in Perill. BALDINGER *N. Magaz. für Aerzte, B.* 8. *St.* 2. S. 163.

l) *Beobacht. u. Erfahr. II B. Lemgo* 1789. S. 163.

m) Hiſtoire de l'Elephantiaſis &ct a Lauſanne 1767. 8.

Jenson *n*). Ill. Boerhaeve *o*) piſcium eſum herpetico interdicit, de noxio forte eorum effectu experientia edoctus. — Ex omnibus hiſce hypotheſi Trampelianae non minimum accedit ponderis, ſed de his omnibus plura adhuc infra dicendi erit occaſio.

I.

Periodicus etiam quandoque eſt H. *p*): *Annua ſaepe eſt et ſalutaris* habet Frid. Hoff-

n) de affect. leproſis. Praeſ. Cartheuser. Francoſ. ad V. 1770. 4. pag. 8 - 15. 14.

o) Conſultt. medicae ſ. ſylloge epiſtolarum cum reſponſis. Götting. 1752. 8. Vol. II. Caſ. VI. pag. 27.

p) Wedel de herpete reſp. Hieronymi. Ienae 1703. p. 26. duo habet exempla periodici reditus, cuius alterutrum ſatis memorabile eſt.

HOFFMANN q). Vere potiſſimum, interdum etiam autumno, reparatis viribus aegrum invadere, ſupra jam monui. Cf. etiam LORRY l. c. 303. POUPART 64. Exemplum huius rei ſatis memorabile affert Cl. POUPART *Zuſäze* 24. Utrumque ſcil. aequinoctium morbi cuiusdam chronici ſymptomata per ſex annorum ſpatium augebat, poſt X. vel XII dies omnia iterum miteſcebant. Suſpicabatur CLAR. VIR latens herpeticum virus et tempus opinioni adjecit calculum. Exhibita enim medicamina felici eventu produxêre h. effloreſcentiam, aegrum multum levantem. Frequentiſſima autem periodici reditus cauſa eſt menſium ſuppreſſio, cuius in morbis diverſiſſimis procreandis omnipotens eſt poteſtas. ROUS-

SEL

q) Med. rat. ſyſt. T. III. 220.

SEL r) narrat, puellam non menſtruatam in diverſis corporis partibus, potiſſimum vero alterutro clune quovis menſe aluiſſe herpetem, qui in ulcus abiens ſanguinem per aliquot dies plorabat, ſponte poſtea iterum evaneſcens. Cel. THILENIUS s) hiſtoriam habet foeminae h. laborantis, qui graviditatis tempore ſemper evanescit, poſt puerperium certo redux. Tres jam peperit infantes ab omni h. ſuſpicione prorſus immunes.

Praemiſſis his generalioribus ſingulas jam ſpecies ſeorſim dilucidare meum eſt. Agmen merito ducit leviſſimus gradus, *farinoſus*

 nempe,

r) de variis herpetum ſpeciebus. Paris 1779. pag. 55.

s) *Med. u. Chir. Bemerk. Frankf. a. M.* 1789. S. 204.

nempe, quem non niſi gradu a miliari differre plurimi jam cenſent *t*). Patent vero huic ſpeciei omnes corporis partes, attamen *praeſertim äeri liberius expoſitis, faciei, collo, brachiis, atque articulationi manum inter et brachium anterius infeſta eſſe dicitur*: BELL l. c. 222. Partes ſi veſtimentis tectas invadit, maior morbi gradus eſſe ſolet, *ſquamoſi* nomine quibusdam notus. Squamoſum vero alii *lichenis* nomine ſalutant, iis ergo *herpes* nomen eſt genericum, cuius ſpeciem quandam *lichenem* dicunt. Absque praeviis ſignis oritur, nec incommoda multa aegro ceteroquin ſano adfert. Pruritum fere nullum excitat, niſi in partibus, quas veſtimenta ſemper tegunt: In aliis, quae nudae eſſe ſolent, for-

t) BERTRAND DE LA GRESIE l. c. p. 32.

fortaſſe acrimonia irritans facilius abit in auras, vel ob calorem minorem, minor etiam eſt materiae nocentis depoſitio, vel reactio maior maiorem depoſitionem impedit. Irregulares illae angulofae ſtriae cutim ſuperiorem ubivis innumeris lineolis perrepentes, primae morbum praeſentem demonſtrare ſolent. Cuticula enim, quae has foſſulas tegit, prima ſeparatur, quod ex aſpredine quadam et colore albido colligere licet. Sed brevi etiam in adjacentes partes eadem tranſit labes desquamans. Rarius tamen multum ſerpere ſolet haecce ſpecies, minori ambitu acquiescens. Non deſunt interim exempla, ubi univerſalis fere, totam ſimul corporis peripheriam invadebat. Ackerman l. c. 167. Nunquam hic humor effluit, quare etiam *ſiccam* hancce ſpeciem plurimi dixêre: pauca tamen copia adeſſe videtur, quae cuticulam ſecedere faciat,

Inter-

Interdum ſed rarius, puſtulae quoque apparent minimae, quae vero ut plurimum omnem viſus aciem fugiunt, tactu magis percipiendae. Non niſi cuticulae infeſta eſt prima haecce ſpecies, quam a ſubjacente cute ſolvit, atque in pulverem albidum furfuraceum mutat. Pars affecta ſecedente illa cuticula farinae ſimili, ſana eſſe videtur ut plurimum, interdum autem ſubſtrata cutis rubicunda, calet atque dolor quidam adeſt pruriens. Saepius deſquamatione unica finitur omnis morbus, ut plurimum autem brevi alia quaedam cuticulae ſeceſſio priſcum locum vel alium quendam deturpat, eadem incedens facie. Rebellis non eſt h. farinoſus, brevi et facile plerumque curandus. Recte interim monet Cel. POUPART l. c. pag. 87 ſq. et 151, atque exemplis illuſtrat, exceptione quadam opus hic eſſe. Quo minori enim impetu exteriora affligit h., eo maior non

raro

raro intus deliteſcere ſolet cauſae morbificae vis, data occaſione in actum facile prorumpens. Perverſa vel nulla medela adhibita perdurantibus interim atque perpetuo creſcentibus cauſis ſemper in pejus ruit h farinoſus, ſquamoſam induens faciem. Accedentibus autem aliis momentis ipſe h. *puſtuloſus* oritur, quem jam deſcribere aggredior.

Altera ſpecies *H. puſtuloſus* non adeo benigna apparet, gravior exſtat cauſa, ſymptomata magis urgent, ſanatio difficilior lentius procedit, atque exitus ſaepe anceps eſt. Sequitur autem farinoſum vel nullo alio praegreſſo cutis morbo oritur protopathicus. Cuticulae inſident verae *puſtulae* vel *ſolitariae*, vel *confertim poſitae*, *coagmentatae*. Milii granis plerumque vix maiores ſunt, unde etiam ſpeciei huic *miliaris* cognomen impo-

nere

nere a primis inde medicinae exordiis conſueverunt autores. Interdum autem duplo vel triplo maiores ſunt, eadem alioquin incedentes facie: hanc ſpeciem *puſtuloſam* dicere placuit plurimis inter recentiores: Nil autem vetare videtur, quo minus miliaris H. eodem puſtuloſi nomine ſalutetur, hinc communi titulo deſcribendos eſſe duxi, nullam eſſentialem differentiam, ne quidem quoad habitum externum animadvertens. Plurimis etiam H. *eryſipelatoſus* audit haecce ſpecies, quam denominationem praeſens partis affectae inflammatio ſaepius inſignis, ſatis ſuperque tuetur. Ambo hi morbi adeo propinqui ſibi ſunt, ut limites ſemper ponere non auderes. Praecipue quoque huc pertinet celebris illa *Zona*, quae partem quandam vel omnino, vel magna ſaltim ex parte cingit. Collum vero, pectus, abdomen, lumbos, poplites rariſſimus hicce

mor-

morbus eligere ſolet. Quae intercedat differentia determinant, *maior in zona inflammatio, ſymptomata antecedentia ac concomitantia urgentiora, febris fortior, decurſus celerior, diſcrimen maius. H. porro puſtuloſus, ſaltim in morbi initio, diſcretus eſſe ſolet, circulo gaudet inflammato, nec radios rubicundos in vicinas partes mittit, quod eryſipelati ſolemne fere eſt.* — Interim *non omnis zona* facilis adeo ab herpete diſtinguitur. Propius quandoque herpeti accedit, ambit nempe partem quandam, praeſertim collum ac poplites, omnem vel quodammodo ſaltim, eruptionem indicunt levior vel nulla febris, inflammatio minor eſt, minor iisdem dolor atque pruritus, febris nulla adeſt, aeger ceteroquin ſanus, diro hocce malo per menſes excruciatur, imo annos. Huius porro zonae cauſae tantum non ſemper ſunt externae, v. c.

acria

acria cutim irritantia, prioris vero fomes plerumque eſt humor bilioſus, primas vias obſidens. Priorem igitur ſpeciem *zonam eryſipelatoſam* dico, atque ad eryſipelatis genus refero, poſteriorem vero, cui *zonae herpeticae* competit nomen, inter herpetes numerare nullus dubito. Optime ſic confuſionem evitaſſe mihi videor, diſtinctionem hancce interim nemini obtrudens.

Sed quam incepi H. puſtuloſi deſcriptionem proſequi me oportet: Eruptionem antecedere ſolet febris quandoque ſat gravis, facta eruptione, ut plurimum ceſſans. Non raro interim mitis et benigna perſiſtit, tempore decubitus exacerbari ſolita, vigiliis, jactatione inquieta, calore aucto et ſiti ſeſe prodens *u*).

Plerum-

u) Rich. Morton tract. de febbr. infl. Cap. II. pag. 10. in Oper. Amſtel. 1696. Turner l. c. 138.

Plerumque ſemel atque ſimul provolat H. puſtuloſus, non raro interim veſpertina praecipue perdurantis febris exacerbatione denuo alia oritur efflorescentia vel in loco remoto, vel in partes vicinas ſerpit exanthema cutim jam tegens. Abſente quoque omni febrili motu augmentum ſaepius ſumit haecce puſtulatio, per plures dies, imo ſeptimanas protracta. Replentur ſero pellucido, cuius pars tenuior vel omni ex parte reſorbetur, vel non. Prius ſi fit ſiccescunt puſtulae, relictis cruſtulis minimis ſponte cadentibus. Ut plurimum autem, forte ob acrimoniam maiorem, lymphatica vaſa effuſum hocce ſerum ſuscipere recuſant: Accedit igitur exulceratio, rumpuntur puſtulae, acerrimus exſudat humor, peſſime ſaepius olens, nec raro vicinas partes contagio afficiens. Materia effluens eius interdum eſt tenacitatis, ut arctiſſime res ſuper impoſitas parti adfectae ag-

agglutinet in magnum aegroti incommodum. Bell l. c. 224. Inde H. *cruſtaceus* autorum. Ut plurimum multae ſibi adſtant puſtulae, confluentes quaſi, quandoque autem ſingulas videre licet. Diſcretae vel ſint, vel plurimae cohaereant, baſin atque ambitum habent inflammatum. Gradus vero inflammationis multum variat, quandoque enim nullius eſt ponderis, ut plurimum autem calore inſigni urente vexat, atque rubor diffuſus in partes vicinas ſeſe ſpargit.

Nec ſolam partem affectam exercet hocce morbi ſtadium, quod febrile dicere forſan poſſes, ex dolore caloreque urente, quamvis pulſus celer aliaque febris ſigna ſaepius deficiant. Non raro enim adſunt pectoris oppreſſio, digeſtio laeſa, nox inſomnis, et, ut brevi dicam, illa conditio, quam *aegritudinis* nomine

mine optime ſalutares. Haecce autem ſymptomata non ita multo poſt factam eruptionem evaneſcunt, perdurantibus interim puſtulis, praecipua erga partem affectam ſede eſſe ſolitis. Decrescente morbo ſerum puſtulas replens fit turbidum, atque circulus intenſe ruber palleſcit. Eo ipſo imminutam eſſe morbi ſaevitiam intelligimus. Frequentius interim temporis ſucceſſu priſtina recrudescit ſors febrilis, vel ex puſtularum inflammatione, vel ſuecrescentibus aliis, novo quaſi impetu. Rariſſime niſi adhibitis repellentibus externis ſponte recedunt, aegrum peſſime afficientes. POUPART p. 98.

Pruritus maximus adeſſe ſolet, qui perferri ſaepius non poteſt, et vel invitos aegros ad ſcalpendum cogit. Dolori idcirco pruritus moleſtus cedit moleſtiori, effluit humor acerrimus, haud raro inflammans, et vicinas par-

tes

tes contaminando foedum cutis morbum ulterius diffundens. Interdum etiam verus ſimul effluit ſanguis. Nova ſenſim cruſta denudatam pariter ac proxime adjacentes partes tegere incipit, materiae acri ſubtus collectae exitum denegat, pruritum denuo ciet, et ecce, eadem fiunt, quae ſupra pruritum ſequentia expoſui. Haecce vero cruſta neque ſcabendo, neque alio quovis modo deiecta, maiori vel minori temporis ſpatio ſponte ſolvitur, et diverſiſſimam ſubiectae cutis indolem exhibet. Modo enim integra eſt, tenella, roſei coloris, ut ſana plane eſſe videatur, modo autem tubercula aſpera non dolentia, parum vel nihil prominula reſtant, quae brevi denuo efflorescunt, priſtinam omnino ſcenam ludentia. Interdum etiam ex cute rubicunda, absque praegreſſa nova efflorescentia, materies exſudat acris, in cruſtas iterum indurescens prioribus om-

omnino ſimiles. Sed non ſemper benigna ea eſt cutis facies: Nonnunquam enim, ſi acrimonia fuerit maior, eroſa apparet, atque tunc *H. exedens*, infra deſcribendus, dici meretur.

H. puſtuloſus parvas ſolummodo partes affligit, nec magnam ſimul cutis regionem petere ſolet. Saltim in morbi initio ſic ſe habet res. Saepius vero ſemper latius ſerpendo in vicina furit, omnia opprimere minitans. Hoc praeſertim fit, ſi cauſae ſemper perdurant, quotidie augentur, atque in dies reiterararatam inflammationem inducunt, porro ſi aeger pruritum non ferens admotis digitis, humores cruſtis ſubjacentes elicit, atque in finitimas, partes effluere patitur. Horum omnium concurſus ſaepius unicâ cruſtâ magnam cutis partem obducit, quidquod non raro integrum

tegrum crus POUPART l. c. 69, femur, brachium etc. eo tectum fuiſſe legimus.

Partes quas haecce ſp. potiſſimum obſidet, ſunt manus, brachia, pectus, lumbi, ani ambitus, genitalia atque femora. Non deſunt tamen obſervationes, quae et in alias eam ſaeviiſſe docent. Exp. LORRY nunquam *miliarem* faciei infeſtum vidit, mihi vero ſemel in fronte adulti vidiſſe contigit: tenuerat autem, cum primum invaderet, capillatam capitis partem, demum etiam ad ſinciput propagatus, priſtinum locum deſerens. Faciem praeſertim, labia, miliari h. obnoxia eſſe annotat POUPART *Zuſäze 6.*

Ad hancce ſpeciem quoque referenda videtur, quae aliis *benigna* audit, vel *Feu volage*, *Dartres volantes.* Soli fere faciei hoſti-

hoſtiles impetus parat, nec tamen aliis corporis partibus omnino parcit. Conſtat puſtulis rubicundis, ſolitariis, vel coagmentatis, dolentibus, ſuppurantibus, brevi desquamantibus. His ſi repellentia admoves, *puſtuloſum h.* saepius efflorescentem videbis, ut ipſe aliquoties, imo in memet ipſo, expertus ſum.

Nunc ad ultimi gradus delineationem accedo, *erodentis*, *depascentis*, *eſthiomeni* nomine omnibus formidabilis. Eaedem ut in praecedenti adſunt puſtulae, eaedem cruſtae et fisſurae, idem pruritus, et revera, quae intercedit differentia in maiori morbi gradu unice latet. Materia effluit copioſiſſima, tenuiſſima, acerrima, cuticulam, quae inflammata adjacet, erodit, inque ulcusculum mali moris mutat. Nec raro ipſam cutim perdit, imo ad musculoſas usque partes penetrat aſperrime faeviens,

quidquod linteamina, quibus teguntur non raro corrodit. Cruſtae ob materiae acris frequentiam et maiorem pruritum non illud tempus exſpectant, quo ſponte cadere poſſent, ſed detractae corruptioni adhuc maiori favent, et malum in dies latius ſerpere, altiusque penetrare faciunt. Acutior eſſe ſolet decurſus, ut quotidie fere morbi incrementum cernere liceat. Puſtulae indolis illius malignae, in morbi initio ſolitariae eſſe ſolent, raroque plures ſibi invicem adſtant. Circulus eas ambit inflammatus, ruber, eadem progreſſione ulterius ſeſe diffundens, qua puſtulae grandescentes maiorem locum occupant.

H. exedens nunquam fere eſt morbus primarius: vel enim praegreſſam aliam exanthematis cutanei ſpeciem excipit, vel ſaltim materies acris intus delitescens continuo irritando

ſui

ſui praeſentiam diu iam manifeſtavit. Faciei praeprimis infeſtus, hanc deformem admodum quin deſtabilem reddit, atque demum ſanatus, vel alias partes invadens, non raro cicatrices relinquit, magis adhuc ingratas atque defoedantes. Eos quoque ſaepe tenet locos, ubi natura acres humores ſecernere ſolet, *inguina* nempe, *perinaeum*, *partes genitales*, *aurem internam* atque *externam*.

Plura adhuc obvia ſunt cognomina, ad tertium huncce gradum apponenda: diſtant paulolum ab invicem ratione efficaciae. Leviſſimus eſt *vivus* ille, acutiſſimus cui *cancroſi* nomen eſt, *phagedaenicus* huic maxime propinquus ſequitur *phlyctaenoden* ſecundo loco ponendum. Omnes vero communi titulo *h. exedentis* optime ſalutantur.

Mentagra Plinii, H. topicus, huc etiam referenda erit. Huius hiſtoriam ſcire, qui cupit, adeat Iohrenii diſſ. ſupra laudatam.

Denique rariorem quandam H. ſpeciem adhuc deſcripturus ſum, a perpaucis obſervatam *Follicularem* nempe vel *tubercularem*. Loquitur de ea Niccolo Pattuna, cuius fuſiorem deſcriptionem *v)* paucis hic repetere placet. Rariſſimus omnium occurrit, non niſi ſyphiliticis infeſtus. Incipit duritie quadam dolente, profunda, rubra, aliquando livi-

v) dell Erpete Trattato. Venezia 1729. 4. pag. 63. 70-72. Librum huncce rariorem cum plurimis aliis exhibuit mihi Perill. Baldinger praeceptor ad cineres usque colendus.

livida, haud multum elevata. In dies creſcunt hi tumores atque oculis ſeſe manifeſtant. Suppurati cum magno ardore fundunt lympham acrem, mordacem. Cutis, tuberculum tegens ſuppuratum, mortua eſt, livida, ſenſu privata. In fundo ulceris obviam eſt folliculus, materia duriſſima calloſa, carni mortuae ſimili, repletus, inconſtantis figurae, coloris albicantis. Exemta haece materie, fortiter impacta, reſtat folliculus exulceratus, in fundo ſuo ruber, in ambitu magis dolens. Ulcera habet haecce ſpecies multo maiora ac in H. corroſivo, eodem vero modo ſerpunt et creſcunt. Interdum etiam non deſtructa cute, inter duo tubercula media, conjunguntur plura ulcera per ductum ſubcutaneum. In ambitu ſemper quaedam remanet durities diffuſa. Quandoque febris veſpertina ſupervenit, et quidem frequentius ac aliis H. ſpeciebus. Species tubercularis

quan-

quandoque eſt primarius morbus, frequentius vero h. corroſivum male curatum excipit, aut ſaltim ei jungitur.

CAP. V.

DE DIAGNOSI NONNULLA.

Strata jam via eſt in elaboranda morbi diagnoſi. Quantum verò hic occurrat difficultatis paſſim jam monui. Gratiſſimus igitur omnibus erit triumphus, quem hodie therapia generalis reportare incipit, de quo laetabor, usque dum ſpecifica cuiuscunque morbi in vulgus prodière, ſemper deſideranda, nunquam detegenda. Abiectum medentis animum excitare valet methodus univerſalis, quam in curandis cutaneis morbis chronicis ſequuntur artis peritiſſimi feliciſſimo cum eventu. Dantur quidem re-

remedia, quae ſingulari in exanthemate peculiares ſibi promeruerunt laudes: ſed nec ſemper ſunt auxilio, nec in alia ſpecie nocent, ut potius idem remedium diverſiſſima cutis vitia faepius ſuſtulerit.

Iuvabit interim, ſigna quaedam noſſe, quibus a maxime vicinis diſcrepat morbus, inter quos praecipue *ſcabies*, *eryſipelas* et quodammodo *lepra* occurrunt. Quomodo a *lepra* dignoſcatur uberius expoſuit Io. Astbury *w*). Diſcrimina h., quae intercedunt et eryſipelas ſupra jam propoſui de *zona* verba faciens *x*).

Qui-

w) Diſſ. de morbis cut. Edinb. 1781. 8. pag. 18 - 20.

x) Cf. quoque Isenflamm reſp. Iacobi de morbis cut. Erlang. 1771. 4. pag. 21. et Pitner l. c. pag. 16.

Quibus a *ſcabie* diſtinguatur, jam annotabo. 1. Scabies nunquam fere cum febre oritur, h. vero puſtuloſus, nec alius cum ſcabie permutari poteſt, ſemper vel febriculam praegreſſam ſequitur, interdum ſat validam, vel etiam ſymptomata febrilia concomitantia habet. 2. Scabies fere ſemper primum manus, ac digitorum interſtitia occupat, quae rariſſime vel nunquam herpeti prima dant ſtamina. Levi *y*) contendit, *brevi tamen tempore manus corripi, contagium licet alia corporis pars ſusceperit. Quod niſi fiat*, pergit, *vera non adeſt ſcabies.* 3. Scabiei maior iungitur pruritus, qui in h. quandoque levis adeo eſt, ut pro nullo haberes. 4. Non ea inflammatio ſca-

y) Diſſ. de varia ſcabiei indole. Gott. 1790. pag. 14.

ſcabiei puſtulas ambit, quae in herpete ſemper videtur. 5. Symptomata orientem H. comitantia affectionem ſyſtematis univerſi arguunt, (niſi a contagio pendeat herpes) in ſcabie morbus magis cutim ſolam obſidet. 6. Scabies plures ſimul invadit partes raro h. qui lento admodum gradu procedit, ſed tarditate gravitatem ſupplicii compenſat. 7. Scabies ut plurimum ſolis externis unguentis ſulphuratis, cito, tuto atque jucunde tollitur; non ita H. 8. Rariſſime z) nec niſi in morbi ſummo gradu faciem occupat ſcabies, quae ab h. minime immunis eſt. Negandum interim non eſt in iis, quorum manus arduis laboribus corneam

fere

z) Nunquam hoc fieri aſſerunt Cel. Wichman *Aetiologie der Kräze* 51. Schilling de lepra in Perill. Baldinger ſylloge Vol. III. pag. 25. aliique plurimi.

fere duritiem contraxerunt, ſcabiem quandoque nullam videri in manibus, ſed efflorescere eam in aliis partibus, imo primario in facie. 9. Contagio facillime propagatur ſcabies, hinc etiam raro ſporadica, ſed ſemper epidemica eſſe ſolet. H. vero contagioſus *adeo* non eſt, et ſunt, qui omnem ex contagione ortum denegare non dubitant: De his vero ſuo loco. 10. Inſitio ſanis ſcabiem haud difficulter impertitur: Idem an de h. valeat, tentatum non eſt. Pericula inſtituere mecum conſtitui, eorumque eventum publici facere iuris. 11. Scabies fere morbus eſt infimae ſortis hominum, immunditiei maxime deditis infeſtiſſimus. Pravum huncce delectum H. non facit: Delicatior eſt, laute viventibus potiſſimum ſolennis. 12. Verno et aeſtivo tempore acerbiſſimus eſt H., frigoris impatiens. Scabies vero ipſi hyemi non cedit. 13. Humor, qui ex puſtulis

ſca-

ſcabioſis effluit, acrimoniam nullam quandoque habet, ut viderim canes avidiſſime lambendo eo delectatos. H. materiem cane pejus ac angue omne fugit animal. 14. Materies ſcabiei ſaltim in morbi progreſſu puri ſpiſſiusculo ſimilis eſt: H. humorem exhibet tenuisſimum. 15. Odor in H. adeſt peculiaris, quem *putridum et languidum* dicit LORRY l. c. 315. *empyreumaticum* vero TRAMPEL l. c. 104. 16. Raro vel difficulter admodum ſudant, qui h. vexantur, eorumque cutis ſebo inuncta videtur. TRAMPEL l. c. 104. 17. Scabies rariſſime confluens adeo eſt, ac H., et ſi etiam magnam corporis partem occupet, nunquam tamen ex communi centro augeſcit. ſed potius novae ſemper ab aliis diſtinctae oriuntur puſtulae. Contraria vero obviam ſunt in H. 18. H. centrum non raro primum deſquamando ſanatur, ut in cruſta inſula ſit quaſi, ab

omni

omni labe, excepto rubore, immunis. Haec nunquam in ſcabie eveniunt. 19. Scabies teſte LORRY 225 et aliis, tempore matutino potisſimum vexat, H. vero hiſce horis quietus eſſe ſolet. Probe quidem ſcio inter haecce ſigna nullum eſſe, quod *ſolum* in facienda diagnoſi ſufficeret: nullum enim *ſemper* H. commune eſt, pauca tantum a ſcabie *ſemper* aliena ſunt. Sed *plurium concurſus* ancipitem determinabit, quo morbum dubium ſalutet nomine.

In recitandis, quae mihi innotuerunt, criteriis omnia, quantum video, recenſui ſymptomata H. maxime familiaria: brevitati ſtudens repetere igitur nolo, quae jam hocce loco, partim cum morbi decurſum enarrarem, expoſui fuſius. Haec ergo ſi conferas illis, genuinam H. notionem tibi finges facile. Circa diagnoſin igitur non amplius moror.

CAP.

CAP. VI.

CAUSAS ENUMERANS.

De cauſis H. acturus non parum animo angor. Qui enim omnes enumerare poſſem, ſi tot H. producere valent, quot exiſtunt cauſae morbificae. Quo vero in ea dicendorum multitudine quodammodo ordinem ſequar, atque confuſiones evitem juvabit certe cauſas in *praediſponentes occaſionales* atque *proximam* diviſiſſe.

Causa proxima *ex concurſu omnium remotarum nata, ſola, integrum morbum ita conſtituit, ut indiſſolubili nexu cum eo cohaereat.* Gaubius §. 60. Eam vero in *acri quodam humore* ponere non dubito, et autores omni mea laude majores mecum

con-

conſentiunt *). Confirmant idem plurima phoenomena. Omnes H. cauſae eius ſunt indolis, ut acrimoniam quandam humoribus addant. Repulſum porro H. excipiunt ſymptomata, quae ab irritatione pendent, et alios effloreſcens H. ab huius generis moleſtiis liberat. Operam igitur perdere crederem, ſi pluribus probare contenderem, cauſam proximam H. in acrimonia quadam eſſe quaerendam. Nec placet hic diſquirere, utrum haecce acrimonia a vitio ſolidorum ſecundario pendeat, vel corruptioni primariae fluidorum ſit adſcribenda, integris interim ſolidis. Utrumque locum habere videtur: ſententiam explicare vetat temporis anguſtia.

Sed

*) R. A. Vogel Praeleſt. §. 707. Unzer *Med. Handbuch. Leipz.* 1789. S. 464.

Sed quae huius acrimoniae eſt natura? Adeo extra omnem perceptionis campum poſita videtur haecce cognitio, ut ignorantiam hic confiteri neminem dedeceat Fuêre autem, qui intima naturae penetralia adire conati ſunt, et varias admodum nobis exhibuerunt — *coniecturas.*

Veteres BILEM h. eſſe cauſam proximam affirmarunt. Hos ſecuti ſunt medii aevi ſcriptores uno ore omnes, nec deſunt noſtra aetate viri maxime conſpicui, haec qui ſuſtentent veterum placita. LIEUTAUD *) de H. verba faciens, hepar in omnibus morbis cut. ſae-

*) *Inbegriff der ganzen Med. Praxis, Th. V. Frankenthal* 1785. S. 196. Idem annotat Euers *in* Schmuckers *verm. Chirurg. Schriften, B. I.* 187.

ſaepiſſime laedi afferit, bilemque ideo accuſare videtur. Clar. PLENCK l. c. 63. H. cauſam materialem eſſe peculiarem acrimoniam biliofam chronicam in glandulas cut. depoſitam contendit. Exp. RETZ vero omnium exanthematum cauſam in bile ponit, *plethoram bilioſam* ubique primas ſcenas ludere contendens, et Hypotheſibus maxime dubiis alias promtus addit aeque ambiguas, rationi atque experientiae ſemper fere renitentes. — Quantae ſint bilis partes in producendis morbis inter recentiores potiſſimum magnus ille STOLL, paſſim in ratione medendi, et Cel. REIL *) docuerunt; de exanthematibus autem hoc ſatis ſuperque evicit Doctiſſ. WELTI **). Et ſane in eo

*) De polycholia, P. I. et II. Halae 1782. 1783. 8.

**) Diſſ. Exanthematum fons abdominalis. Götting. 1784. 4.

eo cutis conſenſu cum bilis officina, vel, ut rectius loquar, conſueto habitationis loco, mirum non eſt, exanthematicos morbos ſaepius a bile pendere vel omnino vel ſaltim ex parte. Sed erraret maxime, qui unicam cauſam in bile haerere contenderet, omnes alias ſecludens. Omni quandoque culpa vacat bilis, imo veroſimile eſt, non raro a bilis defectu H. quandoque oriri. Deficiente enim illa digeſtio eſt inordinata, hinc magnus admodum impuritatum in primis ac ſecundis viis fons.

Cel. TRAMPEL *) empyreuma pro cauſa proxima habet, ſequentibus ductus argumentis: 1. Aeger H laborans difficilis ut plurimum ſudat, et ſi ſudaverit demum odorem ſpar-

*) *Beobacht. u. Erfahr. II B. Lemgo* 1789. 8. S. 104 ſeq.

ſpargit empyreumaticum *). 2. Cutis plerumque eſt unguinoſa, quaſi pinguibus oblita. 3. Pingues atque obeſi huic morbo magis patent. 4. Frequentiſſimus eſt H. iis in locis, ubi piſces rancidi unicum fere ſunt nutrimenti genus. 5. Monachis morbus erat durior, quoties carnium loco ſolis piſcibus veſci juberent religionis praecepta. 6. Ii qui verno tempore naſturtii ſucco utuntur ſaepius efflorefcentiam herp. ſunt nacti. 7. Nec diſpar ille cutis affectus eſt, qui uſum decocti rad. piperis Methyſtici in Caraibicis inſulis ſequitur. — Non omnes vero herpetici piſcibus abuſi ſunt, ideoque alium adhuc huius empyreumatis ortum ponere debebat Clar. TRAMPEL, *mutatio-*

*) Odorem huncce in H., quem vivum dicit, annotavit quóque POUPART l. c. pag. 9.

tionem nempe humorum noſtri corporis in vaſis extremis in acrimoniam empyreumaticam, herpeticam, per vires incognitas.

Dudum jam Cel. BEIREIS me eosque, quibus huius Viri praeſtantiſſimis inſtitutionibus uti poſſe contigit felicitas, docuit, ſaepiſſime acrimoniam rancidam exanthematum chronicorum, praecipue H., eſſe cauſam, ideoque abſtinentiam ab omni eo, quod rancidum generare vel augere poſſet, maxime commendat. Sed Trampelianam hypotheſin defendere tamen non audeo, vereor enim, ne magis ſubtilis ſit, quam vera, eaque univerſaliter praedicet, quae non niſi interdum locum habent.

Nec ergo *bilis* nec *empyreuma*, unica ac proxima H. ſunt cauſa, nec *virus venereum*, nec *alia quaedam potentia nocens.* Nil ergo reſtat, quam ignorantiam hic ingenue fateri.

Philoſophicum enim ſeculum noſtrum fertiliora fere non docuit, quam quae veteribus jam erant notiſſima — praeſentiam nempe acrimoniae.

Sed num acrimonia haecce univerſum corpus obſidet, an vero non niſi in parte affecta haeret? hoc neotericorum plurimi, illud vero crediderunt veteres. Multum certe ad praxin huius quaeſtionis facit diiudicatio. Quae enim veteres maximopere commendabant ſanguinem depurantia, inania eſſe placuit plurimis noſtri aevi medicis, omnem efficacem medelam *topicam* eſſe affirmantibus. Veritas et hic in medio latere videtur. Corruptionem humorum univerſalem quandoque adeſſe commonſtrant plurima: topicorum ſcil. omnium inertia ſaepius obſervata, imo noxii effectus non raro inde pendentes, utilitas catholicorum involventium, edulcorantium, aegritudo totius cor-

poris,

poris, omnium functionum laeſio potiſſimum ab irritatione, efflorescentia in pluribus imo omnibus C. H. partibus ſimul, morbi qui criticam metaſtaſin materiei herpeticae ad cutim vel viſcus quoddam praecedunt, vel eius retropreſſionem ſequuntur, cet. ' Verum enim vero non ſemper corpus in calamitatum partis cuiusdam ſui ſocietatem venit: Saepius partem quandam uſui oeconomiae univerſae impendit natura, et quod erat vitium ubivis reperiundum metaſtaſi quadam in locum circumſcriptum coacervatur. Sed non ſolo hocce modo explicari poteſt, quomodo topicum eſſe poſſit exanthema. Hier. jam Mercurialis dixit, *fieri quandoque cut. morbos ex humoribus, qui in partem boni devehuntur, ibique depravantur, ex partis huius intemperie.* Docent plurima humorum temperiem pendere praeſertim a vaſis, quae permeant: exemplo

eſt

eſt pus, quod per vaſa laxa emollita ſecretum, craſſum eſt et blandum, ſtatim vero tenue fit ac acre, ſimulac irritantia admoveas ulceri. Porro ulcus impurum ſaniem generat rodentem acrem, quae remotis impuritatibus ſtatim in pus bonae notae vertitur. Aſſimilatio cuiusvis contagii certe hocce peragitur modo, nec immediata actione in fluida. Deſunt ſaepius in H. acrimoniae in ſanguine exiſtentis ſigna, nec alia morbum comitantur ſymptomata, quam quae ex laeſa parte affecta pendent. Maximum vero robur opinioni addit efficacia topicorum ſaepiſſime obſervata. Deſtructa per veſicatorium cuticula omnis non raro evanuit morbus.

Veroſimile igitur eſt, quandoque acrimoniam haerere in ſanguine, quandoque vero non niſi partem affectam inde laedi. Cum vero in exhibito caſu exacte determinari nequeat,

queat, num univerſale vel topicum adſit vitium, cumque topicum ſi etiam ſit, tamen adjuvans quaedam cauſa in ſanguine haerere poſſit, cautioribus certe ii utuntur conſiliis, qui ſibi a topicis, nullo facto diſcrimine, nulloque ad humores habito reſpectu, adhibitis valde cavent.

Quaerere denuo poſſet aliquis, num revera *in H. adſit materies ſpecifica, ſui generis, eadem omnino quae eſſet ſemper?* vel num, *qui ex tot, diverſisque adeo cauſis oritur morbus, ex quacunque acrimonia cutim pertinaciter obſidente poſſit gigni?* His quaeſtionibus abſoluta non datur reſponſio, usque dum exacte inter eruditos confectum ſit, quos morbos H. dicere debeamus. Inſitio, quam tentabo in patriam redux, plura quoque huc ſpectantia explicabit. Interim materiem adeſſe ſpecificam non credo et quidem 1. ob diverſam

morbi

morbi faciem; 2. remediorum diverſam efficaciam; 3. varias morbi cauſas non prius agere, quam in virus ſpecificum mutatae ſint, dubium videtur.

Causae praedisponentes praecipuae ſunt:

1. *Haereditaria labes.* An dentur omnino morbi haereditarii adhuc ſub judice lis eſt, ſed diſpoſitionem magnam ad morbos parentum admittendos ſaepiſſime ineſſe infantibus, non eſt, quod dubitem. De H. idem valet, imo ſunt, qui occaſionalem dicunt, quam inter cauſas diſponentes recenſeo, haereditariam labem. Exempla numeroſiſſima ortum H. ex hoc fonte evincunt, *a*). Congenitum ſe vidiſſe mor-

a) Lorry l. c. 64. 104. 312. 150. Pattuna l. c. 97. Poupart 155. 195 et *Zuſätze* 36. Rouſ-

morbum autor eſt Cl. TODE *b*): graviſſime autem more ſolito eum perſtringit Cel. GRUNER *c*), quod credidit ab imaginatione matris hoc cutis vitium in foetum tranſiiſſe.

2.

Rouſſel de variis H. ſpeciebus, pag. 45. Störk libellus, quo contin. experim. et obſ. circa nova ſua medicamenta, p. 175 ſq. Lupini diſſ. de lichene Budae 1778. p. 8. Raulin *Abh. von der Lungenſucht, mit Anmerk. von* Ben. Chr. Vogel. Wien 1788. I. 237. et II. 419. Carrére *vom Nachtſchatten*, ed. Starke S. 95. Trampel l. c. 119. Bertrand de la Grêſie l. c. 18. Ill. Baldinger *N. Mag. B. XI. St. I. S.* 171-174.

b) Soc. Med. Havn. Collect. Vol. I. Obſ. XIII. pag. 95.

c) Diſſ. reſp. Müller ſiſtens naevorum origines, Ien. 1778. p. 53. 54.

2. *Sexus virilis.* IO. ASTBURY *d*) quidem mulieres maxime obnoxias eſſe H. contendit, ſed contrarium ex omnibus fere aliorum obſervatorum teſtimoniis elucet *e*).

3. *Aetas juvenilis vel ea ubi omne incrementum abſolvit corpus f*). EUERS l. c. 188 paucos vidit H. laborantes, qui annum 36 nondum transegerint. FR. HOME autem l. c. 469. 470. annotat in noſodochio ſuo, omnes

d) D. de morbis cut. Edinb. 1781. 8. pag. 18.

e) Lorry l. c. 50. 301. de la Greſie l. c. 17. Retz l. c. 27. Franz Home *Clin. Verſuche, Krankengeſchichten und Leichenöfnungen. Aus dem Engl. Leipzig* 1781. *S.* 470.

f) Lorry loc. cit. 313. Rich. Brookes *Handbuch der ganzen praktiſchen A. Gel. Aus dem Engl. Berlin* 1766. 8. T. II. pag. 479. Wedel l. c. 17. 18.

omnes H. laborantes, uno ſaltim excepto fuiſſe annos natos 15 — 30.

4. *Omnia, quae perſpirationem minuunt.* Sordities. Habitationes humidae. BLUHM l. c. 146. Aer nebuloſus, Regio paludoſa, äeris conditio ſubito mutata g).

5.

g) Lorry l. c. 35. 313. Niccolo Pattuna l. c. pag. 89 ſq. Idem pag. 91. hiſt. narrat. valde ſingularem. Femina H. laborans Venetiis ad Paduam iter faciens absque ullis remediis adhibitis ſanabatur. Sanata urbem iterum petiit patriam, et brevi quoque aderat priſtinus H., denuo evaneſcens, cum Paduae per tempus quoddam commoraretur. Tertia vice ad Venetias profecta eundem mox contraxit H., quem vero nec Padua nec ullum aliud remedium ſanare potuit: aegrotam accedentibus fluore albo, haemorrhagia et ulcere uteri trucidabat.

5. *Debilitas vaſorum extremorum*, ergo reactio imminuta cut. omnibus morbis favet. ASTBURY l. c. pag. 21. Hinc eſt, quod ver eruptionem augeat, minuat hyems, frigore ſuo extrema vaſa corroborando. Hinc etiam remedia maxime proficientia e ſtimulantium ſunt numero. Huc quoque pertinet *habitus corporis tenerior*, vel ſaltim *delicata cutis compages*.

6. *Tempus vernum h*).

7.

h) Biſſet Eſſ. on Med. Conſtit. of Great Brittain, Lond. 1762. p. 123. Poupart l. c. 64 ſeq. Hippocrates Aphor. ex Edit. Liſter Sect. III. Aph. 20. Io. Aſtbury l. c. pag. 17. Io. Iac. Ritter Morbona ſeu enumeratio morb. ſpontaneorum, quos 50 annorum intervallo ſuſtinuit. P. I. Norimb. 1773. 4. p. 44 ſeqq. H. quinquies ſuſtinuit, hyeme evanidum, vere autem

7. *Neglecta ſanguinis miſſio i)*, vel *ſuppreſſio haemorrhagiae conſuetae.* Euers l. c. 187.

8. *Abſtinentia nimia a veneris exercitio.* Lorry 45. imaginariam hanc affert morb. cut. cauſam.

9. *Digeſtio laeſa.* Lorry l. c. 42. Hanc depravando etiam *Vigiliae nimiae* ad cutis morbos proclivitatem inducere videntur.

10. *Animi affectus*, partim tranſpirationem imminuendo, partim ſecretiones turbando, de-

autem effloreſcentem iterum. Lorry *Ueberſicht der vornehmſten Veränderungen und Umwandl. der Krankheiten. Aus dem Latein. Leipz.* 1785. *S.* 109.

i) L. Heiſter *Med. Chir. Wahrnehmungen, B. II. nro* 219. Schwartz de zena l. c. pag. 11. Wedel l. c. 16. 19.

depravando. LORRY l. c. 44. 314. POUPART l. c. 54. EUERS l. c. 186.

Demum CAUSAS OCCASIONALES recenſebo:

1. *Sordes bilioſae k*) primum merito locum occupant. Quanta ſit impuritatum primarum

k) Hippocrates Praedict. L. II. Sect. 2. vs. 325. Galenus de tumoribus praeter nat. Cap. IX. Auicenna Fen. 3. Cap. VI. Oribaſius Compend. Med. Cap. XXXIII. Corn. Celſus L. V. Cap. 28. Ambr. Paraeus L. VI. Cap. 14. Aetius L. XIV. Cap. 61. Fabr. ab Aquapendente L. I. Cap. XX. pag. 180. Hier. Fracaſtorius de morbis contag. Lugd. Bat. 1554. XIIto, L. II. pag. 257. Paul. Aegineta L. IV. Cap. 20. Paracelſus L. V. Cap. III. Gockelius in Gallicinio ſuo pract. Conſil. med. Cent. II. Conſil. XLVI. et Obſ. med. Dec. III. Obſ. 1. Wedel

rum viarum in cutim poteſtas, notiſſimum eſt. Frequentiſſimos ex hoc fonte oriri H. nemo eſt, qui ignoret. Nec igitur damnandi omnino ſunt ii, qui evacuantium uſum neceſſarium

del l. c. 16. Car. Muſitanus de tumoribus praeter naturam, Cap. XII. Foreſtus Obſ. Chir. L. II. ſchol. ad Obſ. V. Tulpius Obſ. Med. Amſt. 1672. p. 256. Turner *Abh. von den Krankheiten der Haut, Altenb.* 1766. pag. 136. Rich. de Hauteſierk l. c. Vol. I. 206. Lorry 314. Plenk l. c. Retz l. c. Reil l. c. P. II. 91. 144. Stoll Praelect. I. pag. 145. Bang. Act. Havn. Vol. I. p. 357. Hausleuthner (praeſ. Goldhagen) an facile carere poſſimus acrimoniarum vocabulis, Halae 1784. pag. 16. Welti l. c. pag. 55 - 57. Diſſ. ſur l'utilité des evacuans &ct. Strasbourg 1783. 8. De Meza in Soc. Med. Havn. Collect. Vol. II. P. II. p. 225. Euers l. c. 168. Pitner l. c. pag. 10. Ill. Selle Med. Clin. Edit. 4ta 217.

rium habent, imo omnem curam illis abſolvendam ſuſcipiunt. Methodum hancce ſaepius fuiſſe auxilio, imo omnem quandoque iuſtae medelae cardinem in ea verti, quidem facilis dabo; ſed modum certe excedunt, qui *ſemper* bilem vident: quae adeſt, non raro forſan a perſpiratione per cut. morbum retenta producitur, ideoque morbi effectus eſt, quam pro cauſa habent.

2. *Acari.* Pathologiam animatam a pluribus, et inter recentiores praecipue ab Illuſt. A LINNE' *l*) et Clar. PLENCIZ *m*) defenſam, ad H. etiam applicarunt nonnulli *n*). Sed

l) Exanthemata viva in Amoenitat. acad. T. V. p. 94.

m) Opp. Med. Phyſ. et praecipue in tract. *de Contagio.*

n) Borellus Obſ. Microſcop. XXVIII. Io. Iac. Schwiebe (praeſ. Aug. Quir. Ri-

Sed quae objecerunt praeceptores pie colendi VIRI ILLUSTRES CRELL *o*) et BALDINGER *p*) tanta ſunt, ut de acaris fere ſileant omnes *q*).

3.

Rivino) diſſ. de pruritu exanthematum ab acaris, Lipſ. 1722. pag. 13.

o) Diſſ. inaug. Contagium vivum luſtrans, Helmſtad. 1768. 4.

p) Progr. Exanthemata non a vermibus oriri, Ienae 1772. 4. rec. in Gruneri Delect. Diſſ. Med. Ienenſ. Vol. II. pag. 89.

q) Conf. etiam Kurella *Beweis, daſs die Ausſchläge nicht von Würmern entſtehen, Berlin* 1750. Murray Comm. de vermibus in lepra obviis. Gött. 1769. Schmucker *verm. chir. Schriften,* III. p. m. 199. Iäger ſpecilegium de pathol. animata, Götting. 1775. Lorry loc. c. 230. 231. Ge. Henr. Toemlich de ortu exanthematum. Ienae 1785. §. VI. Io. Chriſt. Ionas dubia quaedam circa aetiologiam

3. *Ingeſta acria r*), Aromata *s*), Piper *t*), Antiſcorbutica fortiora diutius propinata *u*) praeſertim vino remixta Lorry l. c. 40. Vinum meracum, ibid. Salis abuſus *v*).

4.

Wichmann. Scabiei. Halae 1787. quam in vernaculam linguam translatam recudi curavit Amiciſſimus E. Doering in Perill. Baldinger *Neuem Magaz. B. XI. St. I.* Iacob Levi de varia ſcabiei indole. Götting. 1790. Io. Chr. Reil resp. Heydrich Spec. ſiſt. quaedam circa pathol. morb. contagios. Halae 1790. 8. p. 13 ſq.

r) Pattuna l. c. 93. 94. Bluhm l. c. 146.

s) Lorry 39. 42.

t) Zacutus Med. Princ. hiſt. L. I. obſ. 17. p. m. 135. Forſter *Bemerk. auf ſeiner Reiſe um die Welt*, p. 415. 419.

u) Trampel l. c. 107.

v) Mentzelius in M. N. C. Dec. III. A. 5. Obſ. 204. Ettmüller Opuſc. T. II. P. I. pag. 525.

4. *Acria externe applicata*, vel *per cutim reſorbta.* LORRY l. c. 35. PATTUNA l. c. 79. Huc pertinet Lana ovium morbo tetro defunctorum, de qua loquitur VIRGILIUS *x*), Tactus toxicodendri *y*), Fonticulus cuti admotus z), Collare ſmalto vel alia tinctura acri coloratum *a*). Cerdones ex hac cauſa ſaepius H. laborant, teſtantibus id

x) Georgicor. L. III. in fine.

y) Monti Comment. Bonon. T. III. pag. 163. Gleditſch in Mem. de l'Acad. de Berlin 1771. pag. 61. Weigels *Anmerk. zu de* Morveau's *Anf. Gründen der Chemie*, *B.* 3. *S.* 263.

z) Tiſſot Epiſt. med. pract. Lauſannae 1770. 8. Ep. II. ad Hallerum pag. 320.

a) Boiſſier de Sauvages l. c. T. II. P. I. pag. 20. Plenk l. c. 62. 63.

PLENK l. c. 63, et GOHLIO *b*). Zona nimis arcte conſtricta H. gignit periſcelim — dictum. Nec raro emplaſtrum irritans, cuti ſenſiliori admotum erruptionem herpeticam gignit, quod aliquoties factum ipſe vidi.

5. *Acidum primarum viarum*. RUD. BUCHHAVE *c*) ſaepius inde in infantibus viſos H. deſcripſit.

6. *Virus venereum d*) plurimos H. gignit, ſed non omnes ex hoc fonte licet orti mer-

b) Act. Med. Berolin. Dec. I. Vol. V. Sect. II. nro 34. p. 53.

c) Act. reg. ſoc. med. Havn. Vol. I. Havniae 1783. nro 24. vel Journal für Geburtshelfer St. I. T. 49-62. Conf. etiam Poupart l. c. 132.

d) Aſtruc de morbis vener. L. IV. Stoll Praelect. I. 145. 287. II. 347. 353. Carrére

mercurialibus cedunt. Virus gonorrhoicum ſuſpectum habet Ill. SELLE *e*).

7. *Virus ſcrofuloſum f*).

8. *Scorbutus.* Ex hoc fonte oriri poſſe H. dubitare videtur Cl. BELL l. c. 225. Sed ſcorbuticos ſe H. vidiſſe affirmant plurimi *g*).

rére l. c. 106. de la Gréſie l. c. 16. 60. 68. Poupart l. c. 43 – 52. et *Zuſätze* II. 12. 39. Lorry l. c. 313. Girtanner l. c. 290. Blumenbachs *Med. Bibl. B. I. nro* 21. *S.* 43. Ill. Frize *Handbuch über die vener. Krankh. Berlin* 1790. pag. 230.

e) Med. Clin. 257. 258.

f) Stoll Praelect. I. pag. 33. 45. Lorry l. c. 314. Vogel in notis ad Raulin l. c. T. I. S. 225. Selle Med. Clin. 257. 232. 244. 245. Poupart l. c. 53.

g) Lorry l. c. 314. de la Gréſie 16. Poupart 37. 52. 106-109 182 et Zuſ. 14. 26. Wedel diſſ. cit. 20.

9. *Morbi imperfecte iudicati.* Variolae *h*) Morbilli *i*) Eryſipelas *k*) Febres praeſertim bilioſae *l*) Scabies *m*).

10. *Haemorrhoides, praecipue ſuppreſſae n*).

11.

h) Schilling de lepra rec. in Perill. Baldinger Sylloge Vol. III. pag. 33. Lorry l. c. 63. 64. Ackermann l. c. 163. 164.

i) Ill. Selle Rud. Pyretol. meth. Berol. 1789. 170. Ackermann *Med. Skizzen, I. Heft. Leipz.* 1790. S. 44.

k) Io. Lud. Seeber D. de pruritu, Lipſ. 1756. p. 25. de la Gréſie l. c. p. 65.

l) Grant on fevers 365. 380. Dabadie apud Riverium Obſ. commun. p. 283.

m) de la Greſie l. c. p. 51. 99. Ionas in Bald. *Magaz. B. XI. St.* 1. S. 13 — 14. Poupart l. c. pag. 23 — 32. et Zuſ. 8.

n) Pattuna l. c. pag. 96. Lorry l. c. 50. 134. Poupart l. c. 42. 43. Lorry *Umwandl.* l. c. 264.

11. *Menſium ſuppreſſio o).*

12. *Perſpiratio retenta p).* Egregie ergo BOERHAEVE l. c. pag. 7. frictionem corporis eiusque frequentem exercitationem commendat.

13.

o) Pattuna l. c. pag. 54. Harniſch in Philoſ. Transact. Vol. 39. pag. 200. Lorry l. c. 50. 51. 70. 98. 313. Poupart l. c. 41. 71. 72. de la Gréſie l. c. 54. 75. Thilenius l. c. nro 8. p. 178. Platerus obſ. l. II. pag. 509. Rouſſel diſſ. cit. 55.

p) Lorry l. c. 88. 151. 313. Pattuna l. c. 95. Pitner diſſ. de H. Budae 1780. pag. 13. Schilling de lepra l. c. pag. 25. de la Gréſie l. c. 72. Poupart l. c. 39. Raulin l. c. T. I. p. 223 ſeq. Richard de Hauteſierk Receuil d'Obſ. de Med. des hopitaux militaires, T. I. Paris 1766. 4. pag. 205. Thilenius l. c. 200 ſeq.

13. *Urinae ſeceſſio imminuta*: Urina rite niſi ſecernatur, vel ſecreta ob excretionis quoddam vitium iterum reſorbta maſſam humorum intret, ſemper hanc alienare debet q). Talis vero oritur conditio, quae H. aeque ac alia exanth. ſaepius producit r). Fortaſſis etiam *H. lactentium* BUCHHAVII ex imminuta urinae ſecretione oritur quandoque: ſaltim infantibus haecce ſecretio ſaepiſſime turbatur.

14.

q) Simon Neuburg de acrimonia urinoſa in C. H. retenta. Gött. 1783. F. H. L. Schwarze, *amici probatiſſimae fidei*, diſſ. lotii ſuppreſſio unde? Marburg. 1790.

r) Lorry l. c. 27. Oldenbourg (praeſ. Roederer) de porrigine, Gött. 1762. §. 2. Häſeler de morbis ex lotio retento. Gött. 1779. p. 23. Evers l. c. 191. 192. Home l. c. 474. 475.

14. *Lactis metaſtaſis s).*

15. *Lochiorum ſuppreſſio t).*

16. *Contagium.* Hancce cauſam negant MEZLER *u*), TRAMPEL l. c. pag. 108. BERTRAND DE LA GRESIE l. c. pag. 19. et CLAR. REIL, qui l. c. p. 55. morbos contagioſos enumerans de H. tacet. Dubitat quoque de H. contagio ASTBURY l. c. 20, nec unquam obſervavit HOME l. c. 469. Sed non fictitiam hancce eſſe cauſam, affir-

s) de la Gréſie l. c. 14. 17. 62. 100. Poupart l. c. 40. 47. Nath. Berendt de lactis metaſtaſibus. Gött. 1780. pag. 39.

t) Poupart l. c. 40. Gockelius Gallicin. Cent. II.

u) *Von der Waſſerſucht, nebſt einem Anh. über die Anſteckung. Ulm* 1787. *S.* 127.

affirmant obſervatorum plurimi *v*). Dubius haereo, an unquam contagio affecerit H., et anne in contagio cauſam quaeſiverint latentem, alibi reperiundam. Inſitio omnia removebit dubia: Hanc ſi tentaverim definite magis loquar.

Ea

---

v) Plinius hiſtor. natur. l. XXVI. Cap. I. Hier. Fracaſtorius loc. cit. Hier. Mercurialis l. c. 93. Riedlinus Obſ. Med. Cent. I. Obſ. 26. Lentilius Eteodrom. med. pract. an. 1709. p. 710. Rich. Brookes l. c. 458. Pattuna l. c. 102. Bajon l. c. 37. Pichler Mem. ſur les malad. contagieuſes, Strasb. 1786. Sect. III. Campardoni in Roux Iourn. de Med. T. 19. obſ. 1. Io. Nic. Broc de impetigine Aug. Trevir. 1778. pag. 4. Tode in Soc. Med. Havn. Collect. Vol. I. pag. 95. Bell l. c. 226. Lorry l. c. 45. 157. 308. 311. 312. Poupart l. c. 54. 55. 56. 156. *Bemerk. über verſchied. wicht. Gegenſt. der W. A. K. Braunſchw.* 1782. S. 73.

Ea ſaltim hic non eſt contagii vis, quae omnibus, vel plurimis ſolo contactu morbum tradere poſſet: ſaepius enim, quibus cum herpetico commercium eſt, omnes ab hocce vitio immunes ſunt. Veroſimile igitur maxima non ſolum praediſpoſitione opus eſſe ad concipiendum, ſi datur, contagium, ſed et miasma nullum exſerere effectum niſi diutius concentratum in cute haereat. Fortaſſis etiam ille ſolum H. contagioſus eſt, iunctum ſibi qui habet humorem effluentem.

T A N T U M.

THE-

THESES.

1.

Non dantur naevi materni, i. e. ab imaginatione matris.

2.

Variolas exſtirpari poſſe contendo.

3.

Magneſia calcinata optimum eſt remedium.

4.

Non a ſola bile cyſtica oritur icterus.

5.

Scabiem ab acaris oriri contradictorium non involvit.

6.

Mere adſtringentia in omni haemorrhagia nocent, niſi parti ſanguinem fundenti immediate admoveantur.

7.

Sectio venae jugularis in apoplexia non inſtituenda.

8.

Calculus veſicae optime ſecatur methodo illa veſicali, quam nuperrime invenit Illuſtr. Michaelis, Praeceptor omni pietatis cultu proſequendus. *)

---

*) *Inſtrumenta, quibus utitur Praeceptor Optimus, ſunt:*

a. *Catheter, cuius a conſueto diſcrimen illud eſt, ut non partem membranaceam urethrae, ſed collum veſicae ipſum in perinaeo oſtendat.*

b. *Inſtrumentum, quod acum triquetram, cultrum inciſorium occultum (biſtouri caché) et forcipem ſimul coniungit. Acus triquetra, quae certiſſime collum veſicae absque ulla partis membranaceae*

urethrae laeſione attingit, in perinaeum defigitur, reductoque mucrone aperitur biſtouri caché, *quod pro re nata maiorem vel minorem inciſionem abſolvit, prouti vario modo ſecundum ſcalam quandam perticarum collocaveris. Tandem inſtrumentum polychreſton mutatur in forcipem, cui, ſuadente id Cel.* Hofmanno, *nectitur culeus, ne calculus in extrahendo partes molles nimium laedat.*

CAN-

CANDIDATO

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

S. D.

Ern. Godofr. Baldinger.

Perlegi ſpecimen Tuum doctum, quod vere Tuum eſt, nam elaboraſti IPSE, *non feſtinante calamo, ſed longa ac ſeria meditatione. Vidi ſaepius,* Herpetem, *morbum rebellem, ſaepe inſanabilem! Fruſtra ſaepius incredibilis medicamentorum copia interne et externe exhibetur.*

Ardua res eſt, naturam et indolem huius morbi foediſſimi explicare. Tibi nemo

adeo facile denegabit eruditionem, qua polles. Hanc Tibi ex animo gratulor, quem ab omni tempore magni feci, amavi et in poſterum quoque amabo. Fac Tu etiam, ut in poſterum me ames! Ita Te valere jubeo, meque Tibi commendo!

Scrib. Marburgi d. 20 Sept. 1790.

IO. HENR. GEMPTIO

S.

Michaelis.

Pauca etſi ſint, quibus magis delectetur animus, utilitatis atque venuſtatis ſenſu non plane deſtitutus, aſpectu arboris undique floribus tectae, tam colorum diverſitate ac varietate, quam odoris, quem late ſpargunt ſuavitate, laetiſſimaque abundantiſſimae meſſis ſpe ſenſibus noſtris blandientibus, debilem tamen ac imperfectam hanc, qua tunc animum deliniri perſentimus voluptatem, illius maioris eſſe imaginem vel potius

um-

umbram fateor, qua nunc intima penetralia dulciſſime commota ac perfuſa ſunt, cum videam juvenem tot tamque graves ob cauſas nobis cariſſimum; non modo ob inſignes, quibus munificentiſſimae erga illum naturae ſummo beneficio exornatus eſt, egregias, quales raro obſervavimus, ingenii dotes, aſſiduaque diligentia acquiſitas varii generis eruditionis cumulatiſſimas opes, ſed praecipue ob eam, quam iſtis omnibus longe maioris facimus, non fucatam animi ſinceritatem, candorem, probitatem, integritatem atque ſingularem modeſtiam, *qua dum vivo nunquam inveni maiorem; ad illam jam ſtudiorum maturitatem perductum, ut eruditionis theſauris ad ſalutem humani ge-*

neris,

neris, et ad rei medicae incrementum uti, illamque quam flos juventutis de illo ſpem fecerat, maturiore jam ingenio explere, omniumque de illo conceptae expectationi, quam maxime ſatisfacere poſſit.

Vale dulciſſime rerum. Beneficentiſſimo Tuo officio abundantiſſime ſatisfaciendi totius Tuae vitae voluptas ſit. Tandem ſeró extinguetur in multa vitae nocte, quae quam plurimis per tenebroſas vitae vias facem praetulit, ſolatium attulit, lux illa vitae Tuae benefica. Sed non extinguetur in aeternum. *Illucescet iterum vera eorum in patria, qui ita rem geſſerunt, uti Te acturum fore certiſſimus ſcio: illis in-*

ter-

terris, ubi quodvis beneficentiae germen, quod in ſterili noſtrarum terrarum agro in ſempiternum periiſſe videbatur, nunc demum efflorescendo fructus producet aeternitatis. Marburgi d. 20 Sept. 1790.

4.

Bernhardi Meyer
Medicinae Doctoris

DE MERCVRIALIVM IN MORBIS VENEREIS ACTIONE ET VSV COMMENTATIO.

MARBVRGI
in noua officina libraria academica. 1790.

SERENISSIMO

ET

POTENTISSIMO. PRINCIPI

AC. DOMINO

DNO. WILHELMO. IX.

HASSIAE. LANDGRAVIO. REL.

PATRI. PATRIAE

HANC

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM,

STVDIORVM SVORVM

PRIMITIAS,

VT EXSTET

ERGA

PRINCIPEM CLEMENTISSIMVM

DEVOTISSIMAE MENTIS SVAE

QVALECVNQVE MONVMENTVM

D. D. D.

ſubiectiſſimus

BERNHARDVS MEYER.

MELETEMATA

SVPER

MERCVRIALIVM

IN MORBIS VENEREIS

ACTIONE ET VSV.

M. T. Cicero *Tuſcul. Quaeſtion. L. II. C.* 2.

Sequimur probabilia, nec ultra id, quod uerisſimile occurrerit, progredi poſſumus: et refellere ſine pertinacia, et refelli ſine iracundia parati ſumus.

LECTORI BENEVOLO

S. P D.

A V C T O R.

Quod omnibus ſcientiis, id eſt noſtrae accidit. Varia enim perpeſſa eſt fata, et bona et mala, multoque tempore opus fuit, ut eadem, qua Graecorum tempore gauiſa eſt forma, reſtitueretur. Tempore Latino-Barbarorum inprimis inuoluta fuit multis abſurdis theorematis, quae non ſolum medicinae Metaphyſicen,

ſed quod maximum adtulit detrimentum, Therapeuticen inquinauere. Doctrina de febribus, morbis nervalibus, hisque medendi ratio, tunc temporis cultae, uberrimum ac triſte praebent exemplum. Morbi quoque uenerei, qui tempore reſtaurationis medicinae inclareſcere, ſeu ſi lubet; alia facie ſeſe prodere coepit, exemplum eſt in aprico. Mira ac varia huius morbi facies, illius aeui plerosque medicos, Arabum dogmatis non leuiter adhuc addictos, ac neſcios,

Quo teneant uultus mutantem Protea *modo*,

eo adduxit, ut uarias, immane quantum

ab

ab inuicem diuerſas, prout cuique lubuit, plus minusue abſurdas, quin et riſu dignas theorias de natura uirus uenerei, eius cauſis, modo, quo homines inuadit, et quae ſunt ſimilia, mente conciperent, proferrent, corporique aegroto adplicarent. Licet nemo uero inficias ire poſſit, et nos pauculum omnino de natura uirus uenerei ſcire, fatendum tamen erit cuique, abſurdas illas ueterum opiniones a nobis eſſe deſertas, et nonne opinionis falſae refutatio, ut egregie Cel. SELLE, *ſcientiis eſt incremento?*

Ut

Ut tunc temporis theoria de uirus uenereo culta, eadem ſuit huic morbo ratio medendi.

Singuli ſyſtema ſuum ſecuti ad huius normam curam ſunt adgreſſi. Facile uero eſt perſpectu, ſalſam de morbo opinionem conceptam aegroto eſſe noxiam, nec umquam, quam medens ſibi praefixit metam, poſſe attingi. — Abſterſis noſtro tempore barbariei ſordibus ac tenebris, reiectisque falſis, quae medicinam deturparunt, opinionibus, et medendi methodus aliam induit formam. Elegan-

gantiore, ſolidiore, leniore hodie gaudemus, nec absque ſumma uoluptate inſpici ac legi poſſunt opera Virorum, qui de hoc morbo profligando meriti ſunt. Recentiſſimis praeſertim temporibus labores Duum uirorum Cel. HVNTERI *ac* GIRTANNERI *omnem fere paginam abſoluerunt. Reſtant tamen adhuc quaedam, ab hiſce praeſtantiſſimis Viris non dilucide admodum prolata, ob rerum enim dicendarum ac ſcribendarum copiam, is, qui opus integrum edere molitur alia omittere, alia non fuſe ſatis facile proferre poteſt.*

Hoc

Hoc in opuſculo tentaui, ut quaedam a Cl. GIRTANNERO *praecipue omiſſa, vel leuiter tacta, vel minus recte, mea quidem ſententia, prolata ulterius proferam, explicem, reſtringam. An bonis auibus, lectores aequi iudicent, quos ea facie hoc opuſculum legant, enixe rogo, taleque de eo iudicium ferant, quale de primitiis iuuenis ferri ſolet, qui non excitatus futili contradicendi, uel uana temere ogganiendi ſeu effutiendi pruritu, ſed ſolum ueri eruendi utili nec uituperando ſane ſtudio in arenam deſcendere auſus eſt. Equidem non ſum*

mihi

mihi tam Suffenus, qui omnibus numeris abſolutum opus meum credam, fortaſſis enim maius, quam cui ferendo humeri pares ſunt, onus illis impoſui. Iudicium penes lectorem eſto, ſaltim pro ingenii mei uiribus rem tractaui, quas exiguas eſſe lubentiſſimo animo ac corde agnoſco, bene gnarus, Herculis cothurnos non omnibus eſſe aptos pedibus; interim

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

Quae bona in opuſculo meo fortaſſis inueniuntur, ea non mihi debere, candide fateor, ſed praeceptoribus meis reuerendiſſimis, omni laude mea ſuperioribus,

Viris

Viris Illuſtribus BALDINGER et MOENCH, *qui fuſe admodum, cum quoad practicam, tum quoad chemicam partem hanc materiam in praelectionibus ſuis pertractarunt.*

Vale, B. L. meisque conatibus faue.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Irritabilitas vaſorum lymphaticorum in ſtatu ſano ac morbido.

§. I.

Mira ſane eſt functio illa partium corporis noſtri, quae hodie irritabilitas vocatur, et qua omnes fere corporis partes, plus minusue, pro diuerſa ſtructura, gaudent. Egregie de uniuerſa medicina meriti ſunt Viri, non niſi ſumma cum reuerentia compellandi, qui in eo omnem operam locarunt, ut hanc corporis uiui functionem rite determinarent, explicarent, ſtabilirent, et experimentis in animalibus, ac obſeruationibus in ſano ac aegroto hominum corpore factis gradum

dum huius functionis, ſingulis partibus proprium, oſtenderent: maxima utilitas in medicam artem inde redundauit et quotidie adhuc redundat, aliam nempe faciem, rite cognita hac corporis uiui functione, induit uniuerſa pathologia, et ex hac uelut effectus à cauſſa pendens, therapia. Liquidior enim lux adparet, poſita, uelut fundamento, hac functione, in cognoſcenda natura febris, morborum nerualium, diuerſa eorum facie, atque in remouendis ſingulis horum morborum ſpeciebus. Ut plura taceam, in medium nunc ſaltem proferam criſes, harumque varias ſpecies, quas certo absque ſolida huius, et ſingulis quidem partibus propriae functionis cognitione nemo rite intueri, obſeruare, et, ſi quando opus fuerit, excitare uel dirigere poterit.

Nec

Nec ſua utilitate caret in cognoſcenda uariorum remediorum actione in noſtrum corpus, cuius perfectiorem notionem, quantum pro ingenii noſtri terminis fieri poteſt, medico maxime neceſſariam eſſe quiuis lubenter fatebitur.

§. II.

Patet inde, omnes neruos eſſe intendendos, ut, quae, hodienum de hac functione certa ac indubitata, opera cum phyſiologorum, tum pathologorum, conſtant, penitus ſibi cognita reddat, qui medici nomine dignus, aegrotisque ſaluti eſſe cupit, nemo enim medicorum, ut rectiſſime *magnus* HALLERVS, corporis humani functiones absque ſummo eius detrimento ignorare poteſt.

§. III.

Nulla partis actio eſſe poteſt, niſi adſit functio, huius enim effectus demum audit actio. Functionem omnibus noſtri corporis partibus communem, non niſi irritabilitatem, a ui uitali pendentem, agnoſcere poſſumus, haec functio pro diuerſa conditione, ſtructura partium diuerſa eſt, inde diuerſae et toto coelo ſaepe ab inuicem diſtantes partium actiones, e ui uitali enim cum ſingularum partium ſtructura in unum coeunte diſcrimen actionum, ſeu actiones partium propriae oriuntur.

§. IIII.

Solis muſculis olim haec functio adſcripta fuit, et reliquis in partibus deficere, pro certo habita. Interim tamen caſta obſeruatio ac ratiocinium nos docuerunt, non

ſolis

ſolis muſculis hanc functionem eſſe tribuendam, ſed et reliquis in partibus, plus minusue pro diuerſa ſtructura adeſſe. Trutinantibus nempe ſtructuram primorum noſtri corporis ſtaminum, non poteſt non clara luce menti obuerſari, ſtructuram omnium partium compoſitam, in primis ſtaminibus conſideratam unam eſſe eamdemque, nec niſi diuerſam horum ſtaminum inter ſe combinationem diuerſam partium ſtructuram efficere, inde et merito concludimus, functionem, primis ſtaminibus inter ſe nexis communem et partibus inde compoſitis propriam eſſe debere, ea propter igitur omnes partes functione irritabilitatis gaudere.

§. V.

Ad irritabilitatem vaſorum lymphaticorum propius adcedo, eamque adeſſe, experi

rimentis ac obſeruationibus e ſano et aegroto corpore ſumtis probabo.

Iam iam omnes actiones vaſorum lymphaticorum de ui uitali illis inſidente certiores nos reddere deberent, nec amplius de functione irritabilitatis dubitandum eſſet; niſi forte forent, qui praeconcepta opinione non ui uitali, ſed ſoli contractilitati omnia phaenomena adſcribere conarentur, quod tamen certiſſime, rite conſideratis omnibus, fieri nequit. Aeque, ac uaſa ſanguifera, propellunt uaſa lymphatica ſuccum contentum, uel particulas illis adplicatas, ueluti miaſmata quaedam, uenenum hydrophobicum, uarioloſum, uel et medicamenta, mercurium, terebinthinam, aliaue. Negari vero nequit, uaſa ſanguifera irritabilitate gaudere, quod Cl. VERSCHVIR *in diſſ. de vi irri-*

ritabili vaſorum. Groning. 1766. extra omnem dubii aleam poſuit. Inde nec uaſa lymphatica, quae eamdem fere actionem ac uaſa ſanguifera habent; quid quod uaſorum rubrorum irritabilitatem multis modis ſuperent *a*). Sed et reliqua phaenomena certo certiſſime docent, irritabilitatem illis competere, modo adtendamus, quod Cl. CRUIKSHANK nos docuit, interdum ad tempus quoddam actionem uaſorum lymphaticorum quaſi dormire, illaque neque ſuccum reſorbere, neque ulte-

a) HALLERI Elem. Phyſiol. Tom. I. pag. 165. Magnam uim uitalem uaſis ineſſe lymphaticis, probat celerrimus per uaſa lactea chyli tranſitus; et anatomicis uulgare eſt ſpectaculum, chylum in uaſis lacteis animalis uiui ſecti conſpicuum paulo poſt omnem euanuiſſe.

ulterius propellere, unde ſane actio non a contractilitate ſola ſed a ui uita dependere uidetur *a*). Videmus etiam, ab iniuriis exter- nis,

---

a) Ipſa nimirum actio, qua liquida agitantur, a contractilitate ſola, quae certiſſime ab elaſticitate pendet, uel eadem eſt, et a ſolis uiribus mechanicis mouetur, erui nequit, uim uitalem poſtulat circulatio irritabilitati ac ſenſibilitati ſoli conceſſam.

IOH. TESTA de uitalibus periodis aegrotantium et ſanorum Vol. II. P. II. C. 1. p. 108. Aucta matutino tempore perſpiratione, abſorptio ſimiliter intenditur, propter auctam uniuerſim lymphaticorum irritabilitatem. Scimus mercuriales inunctiones mane inſtitutas, multorum luem ſanaſſe, quos ueſpertinae aut nocturnae uix aliquid adiuuerant.

nis quae uiuam partium uim laedunt, quales ſunt ictus, lapſus, contuſio; humores, a uaſis lymphaticis reſorbendos, adcumulari, telam celluloſam expandi, reſorptionem igitur

Cl. CRVIKSHANK in *Samml. auserleſener Abhandl. VII. B. I. St.* p. 18.

Matutino etiam tempore facilius lues uenerea concipitur. Cl. GIRTANNER l. c. p. 64. Cl. HVFELAND *Bemerkungen über die natürlichen und künſtlichen Blattern zu Weimar im Jahr* 1788. p. 24. „*Zur Impfung wählte ich immer die nüchterne Vormittags Zeit, in dem Glauben, daß hier die Einſaugungskraft ſtärker ſei.* cf. Cl. STARK *Auszüge aus dem Tagebuch des cliniſchen Inſtituts in Jena, I. Lieferung*, p. 140.

Minus recte igitur Cl. CYRILLO Oſſeruazioni pratiche intorno alla lue uenerea p. 143. uespertinum tempus inunctionibus conuenientiſſimum iudicat.

non rite progredi, donec remediis ex et internis uim uitalem excitantibus iuſtus tenor reſtituatur. Saepe ſaepius idem uidemus in hydrope, in eo praeſertim, qui a nimia debilitate poſt nimiam ac effrenatam humoris uitalis iacturam natales ducit, roborantibus ſanandus. Spasmodicae etiam ſyſtematis lymphatici conſtructiones motum lymphae progredientis impediunt, quod ex eo, quod teſtibus nonnullis, opiata in hydropicis affectibus egregie profuerint elucet. Vidit ſaepius Ill. WRISBERG *a*) in cadaueribus hydropicis truncos maiores uaſorum lymphaticorum diuerſis in locis anguſtiores et in tenuiores canaliculos conſtrictos, et

a) Ill. WRISBERG de ſyſtemate vaſorum abſorbente morbos uiciſſim excitante et ſanante, in Comment. acad. ſcient. Gotting. Vol. VIII. pag. 149. §. 19.

et hic etiam obſeruationes anguſtiſſimi ductus thoracici in quibusdam ſubiectis a ſe uiſi refert.

§. VI.

Reſtat aliud phaenomenon a DARWINO *a*) nobis expoſitum, motus nempe retrogradus uaſorum lymphaticorum, quo contenta fluida rurſus uerſus originem uel alium locum a uia recta ac communi alienum propelluntur. Mirum hocce phaenomenon, quod in diureſi critica ac diabete lymphatico praecipuum locum habet, ex ſola contractilitate explicari nequit, nec id niſi ad uim uitalem refugiamus, rite intelligere poſſumus. Valuulis inſtructum eſſe quod-

a) *Abhandl. für praktiſche Aerzte, 6ter B.* p. 254.

quoduis uas lymphaticum magna copia, qui in hac anatomiae parte elaboranda deſudarunt, certiores nos fecere. Idem praeſtant, quod ualuulae uenarum, urgent liquidum impediuntque, quo minus rurſus locum uerſus, unde uenit, relabatur. Valuularum reſiſtentiam et in mortuo corpore, qui iniectioni uaſorum operam dant, ſat norunt, tantum enim abeſt, ut directioni contrariae cedant, ut potius rumpantur *a*). Tantam autem contractilitatem, quae ualuulas ſuperet, uaſis hiſce tenellis adſcribere, res ipſa uetat, et merito concludimus, exiguam ſolummodo contractilitatis uim uaſis hiſce inſidere, nec ipſa quidem ualuularum actio absque ui uitali comprehendi poteſt.

§. VII.

a) Cel. CRVIKSHANK *Geſchichte und Beſchreibung der lymphatiſchen Gefäße*, p. 62.

§. VII.

Motus inteſtinorum antiperiſtalticus multum cum noſtro phaenomeno conuenire uidetur, et modus, quo is contingit, qua ratione motus uaſorum lymphaticorum retrogradus eueniat, nos aperte docet. Nemini, me hercle, in mentem umquam uenit, illud phaenomenon ſoli contractilitati adſcribere, uaria enim irritamenta, *functionem uitalem* urgentia, et ad peruerſas actiones inſtigantia, hoc phaenomenon producunt. Facilius apertiusque cognita functione uitali explicari poteſt, et adfatim iam iam a multis factum eſt, unde ampliore a me proferenda non opus eſt explicatione.

§. VIII.

Experimenta quoque, ſuper uaſis lymphaticis inſtituta eſſe docuerunt, illis functionem uitalem adſcribendam.

Aëre

Aëre frigido tacta uel quouis alio irritamenti genere ſe contrahunt, euacuantur et oculis ſeſe abducunt. Bene HALLERVS: „ Neque, ait, ſolus ductus thoracicus, qui „ uere de genere uaſorum lymphaticorum eſt, „ et perinde uaſa lymphatica hepatis ad olei „ uitrioli tactum contrahuntur et celerrime „ exinaniuntur, ſed inprimis in animale, cui „ plena fuerunt, aut chylo aut lympha, aut „ coeruleo liquore, quem animalia abſorbere „ coëgi, ſub ipſis intentis meis oculis, toties „ uidi haec ſiue lymphatica uaſcula ſiue lactea „ euaneſcere, non potuerunt autem uiſui ſe „ ſubduxiſſe, niſi expulſo, qui replebat et „ conſpicua reddebat, liquore lympha, la„ cte, indigo in aqua diſſoluto " *a*).

§. VIIII.

a) HALLER l. c. cf. Seconde memoire ſur le mouuement du ſang. Exper. 295. 298.

§. VIIII.

Perſpecta vero hac uaſorum lymphaticorum functione magnum nobis lumen adfulget, quo nos latente adhuc huius functionis cognitione non absque magno damno carere debuimus. Vt enim in reliquis corporis partibus irritabilitas morbida eſſe poteſt, exceſſu uel defectu peccare, ſic idem etiam eueniet in uaſis lymphaticis. Inſtituti ratio autem poſtulat, ut de his quaedam generalia ſaltim addam.

§. X.

In utroque caſu cauſſae et effectus ſibi inuicem non reſpondent, ſed effectus uel maior uel minor eſt ac natura cauſſae poſtulat. Exceſſu peccat irritabilitas, uel iuſto maior adeſt, dum effectus producuntur, cauſſarum magnitudini non reſpondentes, ſed eam ſuperan-

rantes, breuibus, ubi effectus maior eſt cauſſa. Defectu uero, ſeu torpore peccat, dum cauſſa effectum ſuperat, uel effectus minores producuntur ac magnitudo cauſſarum poſtulaſſet. Vterque modus irritabilitatis morbidus eſt, quo aequabilis functionum tenor, circulationis, ſecretionis, excretionis mirum in modum turbatur, impeditur, peruertitur. Omnes cauſſae, quae duobus hiſce ſibi e diametro oppoſitis ſtatibus in uniuerſo corpore producendis pares ſunt et in parte corporis priuata illos producere poterunt, adeoque et in ſyſtemate uaſorum lymphaticorum. Non meum eſſe puto, has in cauſſas disquirere, omneque enim punctum in his indagandis tulit Cel. GAVBIVS *a*) ut plura addere uelle, piaculum eſſet, nec niſi mea intereſt, quam ut

a) Inſtit. pathol. Cap. de morbis ſolidi uiui.

ut duos hoſce ſibi oppoſitos ſtatus in ſyſtemate lymphatico obuios obſeruationibus probem.

§. XI.

Saepius uidemus a paucis mercurii granulis ſyſtema lymphaticum ita uehementer agitari, ut exinde enormis oriatur ſaliuatio *a)* aegre niſi medicamentis irritabilitatem nimiam obtundentibus, compeſcenda, nec refert utrum iam ante mercurius adhibitus ſit, nec ne.

a) TVRNBVLL *Urſprung und Alter der Luſtſeuche* p. 82. Meminit caſus, a quarta tantum grani parte mercurii ſublimati dulcis ſaliuationem ortam eſſe, additque quinquaginta grana in uno eosdem producere effectus poſſe, ac unum in altero ſubiecto.

ne. Proſtant uero et alia exempla, magnam mercurii copiam corpori ingeſtam fuiſſe, absque ſubſequente ſaliuatione. Diuerſas haſce, ſibique inuicem oppoſitas conditiones non niſi a uario irritabilitatis gradu pendere. aperte conſtat, e uiribus mere mechanicis haec phaenomena explicare, praecepta phyſiologica ac pathologica plane uetant. Varii porro mercurii effectus in hominibus diuerſae aetatis, ſexus, temperamenti, uitae generis, quibus in caſibus irritabilitatis gradus diuerſiſſimus eſt, haſce diuerſas conditiones morboſas aperte docent, quid quod et morbi praegreſſi, uel adhuc in corpore exiſtentes, qui irritabilitatem inſigniter mutant, mercurii effectum cogant diuerſum ab eo, qui ante morbos praegreſſos fuit. Minorem eiusdem praeparati mercurialis portionem requirit aetas infantilis ac ſexus ſequior, maiorem aetas uiribus, ac

ſexus

ſexus potior, maiorem temperamentum, ut aiunt, phlegmaticum, minorem ſanguineum *a*). A uitae genere irritabilitatem multum mutari, uel augeri, uel minui conſtat, citius uehementiusue a mercurio adficiuntur, qui cibo lauto, uinisque ac aromatis multis nutriuntur tardius ac mitius, qui blandis uel et inertibus fatuis nutriuntur, nec uino nec aromatis corpus laedunt.

§. XII.

Ex his omnibus ut credo, aperte conſtat, functionem uaſorum lymphaticorum a ui uitali pendentem, et in ſtatu ſano et aegroto, maximi momenti, nec leuiter tractandam

eſſe

a) Cel. CVLLEN Mat. Med. p. 473.

eſſe. Comparatio enim uarii huius ſtatus cum actione mercurii uariorumque huius metalli praeparatorum nos docebunt, quibusdam in caſibus hoc uel illud praeparatum adhibendum et quibusnam remediis adiuuantibus combinandum ſit, ut effectus, quales prodi uolumus, edantur.

Signa uero, ex quibus cognoſcimus, utrum adſit irritabilitas uaſorum lymphaticorum iuſta an morboſa, ut et cauſſas, quae producendis his ſtatibus fauent, non recenſebo, ut cum reliquarum partium ſignis et cauſſis conuenientia, quae ſyſtemati lymphatico, huiusque actionibus adplicata eosdem morbos producunt ac cognitos reddunt et a multis grauiſſimis, omni laude mea ſuperioribus Viris iam tractata ac in medium prolata atque explicata ſunt.

SECTIO SECVNDA.

De actionis mercurialium in uirus uenereo debellando atque eradicando cauſſis.

§. I.

Difficilis omnino eſt, multisque ſpinis ac operculis tecta ac munita perfectior cognitio actionis remediorum in noſtrum corpus. Abſtruſa enim eſt, noſtrosque ſenſus latet exactiſſima notio remediorum, ac ſubtilioris noſtri corporis ſtructurae, rationumque, quibus functiones ab ea pendentes, peraguntur, nec ſpes eſt, fore, ut ad id faſtigium umquam euehamur, quo, quae tecta nobis adhuc ſunt, reuelata, ac coruſco radiorum lumine illuſtrata uideamus. Ea enim eſt uirium noſtrarum conditio, ut determinatis cancellis inſcriptae hos egredi nequeant, niſi uelis in leges a Summo Numine praeſcriptas debacchari,

maxi-

maximoque tibi cum damno tenebris et labyrinthis implicari. Rectiſſime igitur LVCRETIVS:

Multa tegit ſacro inuolucro natura, nec ullis
Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia, multa
Admirare modo, nec non uenerare, nec illa
Inquiras, quae ſunt arcanis proxima —

Vera igitur interdum *eſt ſapientia*, ut cum magno SCALIGERO (quantum nomen!) loquar, *nolle nimis ſapere; arcana* enim *rerum naturae ſacra*, ut ueriſſime SENECA, *reducta, et interiori ſunt clauſa ſacrario.*

Interim tamen conemur, ut, quantum quidem pro ingenii noſtri copiolis ualemus, quae in manibus ſunt, cognoſcamus. Multum augmenti hodienum acceperunt omnes ſcientiae, multa nobis aperte ante oculos ia-

cent,

cent, quorum cauſſas maiores noſtri incognitas ſibi eſſe fateri coacti ſunt. Quantum, ut pauca proferam, exculta eſt phyſice, quantum chemia, quantum anatomia ſubtilior, quantum phyſiologia, absque cuius intimiore amicitia nemo rite mederi morbis poteſt. His amica manu inter ſe ut et cum ſcrupuloſis, exactis, concinnis ſtatus morbidi examinibus iunctis, uidemus, multa ante paucos adhuc annos abſcondita nunc ſatis perſpecta eſſe atque cognita.

Abſint uero omnes praeconceptae opiniones, abſint omnia, ipſa natura renitente, exculta ſyſtemata, ſolam naturam, ea, qua decet, ἀκριβειᾳ, et uariis quidem ſub conditionibus obſeruemus, quae nos doceat, diligenter examinemus, et tandem ſpes erit, fore, ut rite obſeruatis omnibus phaenomenis ac in-

ter ſe combinatis, cauſſas tandem rerum, ſi non omnes, quasdam tamen eruamus, propiorque ad arcana naturae ſacra aditus nobis ſit futurus.

§. II.

Dici nequit, quantum fructus in eum redundet, qui noctes diesque aſſidua obſeruatione debitaque mentis acie phaenomena uis uitalis perpendit. Ea enim eſt, quae nos conſeruat, morbos abigit, actionem remediorum in noſtrum corpus determinat, non enim agit umquam remedium, qua tale, in mortuum corpus. Hinc patet, eos, qui e ſolis legibus mechanicis actiones remediorum determinare conentur egregie fallere, multumque a uia regia aberrare. Vt ut legibus mechanicis in determinandis functionibus, actionibus, omni-

bus-

busque, ut uno uerbo dicam, mutationibus noſtri corporis carere non liceat, concedendum tamen eſt, minimam partem uires mechanicas efficere, ſed plurimum e contra a ui uitali eiusque effectibus pendere. Quis, quaeſo, uires corticis peruuiani, uini, opii, moſchi, odorum e legibus mechanicis unquam, ut promiſſo ſuo rite ſtet, poterit explicare? Eadem eſt conditio omnium, quotquot ſunt, remediorum, inde et mercurii, quod § § ſequentibus adfatim patebit, quibus generalia quaedam de actione mercurii, nullo reſpectu habito ad uirus uenereum, qua debellandum, bona lectorum cum uenia proferre mecum conſtitui.

§. III.

Mercurius, uel ex uel interne corpori humano adplicatus, actiones uitales intendit,

 ſe-

febrem qualemcumque excitat, pulſum adauget, cruſtam ſanguinis inflammatoriam generat *a*). Agit igitur ſtimulando ſolida, excitando uim uitalem, eodem igitur modo, ut reliqua pharmaca e claſſe ſtimulantium, et hac ſub conditione conſideratus nil prae reliquis ſtimulantibus proprii habet. Haec uirtus ſolida ſtimulans cauſſa eſt, cur plethorici curam mercurii ope ſubeuntes, eodem modo praeparari debeant, quo, quibus alia e ſtimulantium claſſe ingeruntur, uenae ſectione, temperantibus, diluentibus eccoproticis et q. ſ. ſ.

Iure

---

a) Cel. CULLEN mat. med. pag. 465. Cl. GIRTANNER *Abhandl. von der veneriſchen Krankheit* pag. 317. NISBET *Abhandl. über die Luſtſeuche* pag. 276. CARRERE *Unterſuchung über die Verlarvten u. ſ. w. veneriſche chroniſche Krankheiten* p. 90. 91.

Iure meritoque Cel. CVLLEN *a*) mercurium, ut ſtimulans uniuerſale conſiderat, ſub uariis enim formis uariisque doſibus ingeſtus omnes intendit excretiones, mox diarrhoeam, mox uomitum, mox ſudorem, mox ſaliuationem, mox diureſin *b*) allicit atque procreat. Eosdem etiam effectus ſtimulantes prodit externe ulceribus adplicatus. Cuiuis nota eſt adplicatio mercurii praecipitati ſeu calcinati rubri, uel forma pulueris, uel unguenti in ulceribus ſordidis, lardo quaſi obductis, uerbo, ubi uis uitae languet,

a) l. c. p. 465. cf. Cl. HECKERS *Handbuch der allgemeinen Heilkunde* §. 506. p. 376.

b) IOH. DAN. SCHLICHTING de diureſi copia et ſimul ſalutari loco ſaliuationis exorta. In Act. Phyſ. med. A. n. c. T. VIII. obſ. 6. p. 25.

et, quod facillime in omnibus ulceribus glandulosarum partium ſcrophuloſi praeprimis ortus, euenit. Summo inde iure hic commendatur a *Cl.* VNTERWOOD et RICHTER *a*) et ipſe ego effectus bonos me uidiſſe adfirmare poſſum. Iam diu in uſu fuit unguentum ST. YVES in pſorophthalmia, bonosque effectus produxit ſolus mercurius calcinatus ruber, absque tutia et camphora butyro mixtus. Easdem hic prodit uirtutes ac in ulceribus glandularum maiorum.

Effectus, quos in tenellae conſtitutionis, irritabilioribus ſubiectis producit iidem ſunt

a) Cuius uero uſum his in caſibus iam dudum docuit Cel. THEDEN in *ſeinem Unterricht für Unterwundärzte.*

ſunt ſtimulantes, unde non poteſt non eſſe, quin ingurgitato nimiis praebiis mercurio, uires mox collabantur, actiones omnes languescant, adpetitus deleatur, febrisque hectica incendatur a).

§. IIII.

Vtrum immediate in humores agat an ſolidorum uiuorum ope, lis adhuc ſub iudice eſt, nec tantas moles tollere ego auſim. Sufficiat, me adnotare, probabilius mihi eſſe, praecipua ſolidorum ope, aucta ui uitali, humores ſolui, eodem fere modo, quo ſanguis per febrem inflammatoriam ſoluitur. Hac febri, quam mercurius excitat, explicari

a) CARRERE l. c.

cari forte fortaſſis poteſt damnum, quod mercurius iis infert, quos ſcorbutus uexat, peſſime enim ui omnis obſeruationis ac experientiae ibi nocet, omniaque irritantia, et quae ſanguinem minime ſoluere ab omnibus dicuntur, eumdem praeſtant effectum *a*), quamquam negare non auſim, multum conferre ipſam uim mercurii in uaſa lymphatica ſpecificam fere. His demum addi poteſt, ſi mercurius immediate in humores noſtri corporis ageret, unum idemque hydrargyri praeparatum, eadem doſi diuerſae conſtitutionis hominibus eosdem ſemper effectus inferre debere, quod uero minime uidetur.

§. V.

a) CVLLEN l. c. p. 464.

§. V.

Tantum de effectibus mercurii uniuerſalibus, ſeu totam corporis noſtri conditionem tangentibus.

Propius nunc ad propoſitum huius ſectionis adcedo, ſententiamque de actione mercurii in uirus uenereo debellando proferam.

Nec affinitate chemica cum uirus, nec grauitate remouet ſyphiliden; ſtatus oeconomiae noſtri corporis ac obſeruationes ſatis ſuperque iam iam has refutarunt ſententias.

Grauitate ſua agere mercurium, plures multis conati ſunt argumentis corroborare. Obſtat uero, ut pauca ſaltem adducam, huic ſententiae, paucula mercurii ſublimati corroſiui grana requiri, quo effectus à

mer-

mercurio oriri ſoliti ſeſe prodant, mercurium crudum ſeu mercurium ſub metallica forma corpori ingeſtum, multumque temporis ibi moratum, nullos produxiſſe effectus *a*), cum tamen non potuiſſent non fieri, praecipue cum ab exiguo coloris gradu in auras abeat mercurius. Nec umquam comprehendi poteſt, qua demum

a) Narrat PAVLVS IACOBVS MALOVIN in libro, cui titulus Chymie medicinale, mulieres Smyrnenſes cottidie ad tres drachmas usque mercurii uiui uorare, quo amabilis uirosque alliciens corporis habitus conſeruetur. Tantam me hercle! copiam in corpus ingerere non poſſent absque detrimento, ſi mercurius grauitate ſua ageret. Plura uide in egregio GIRTANNERI libro T. I. p. 314. 328. cf. IOH. FRID. SCHROEDER Diſſ. de medicamentis ſaliuantibus, §. 22. pag. 18. TVRNBVLL l. c. *de* HAEN R. Med. T. V. Cap. III. §. 4.

demum ratione grauitate ſua agat, ac uirus uenereum ſeu debellet, ſeu eneruet, ſeu eiiciat. Vnum porro idemque mercurii praeparatum eadem doſi exhibitum in diuerſae conſtitutionis hominibus minime eiusdem gradus effectus producit, ſed diuerſi. Pace igitur Virorum hanc ſententiam amplexorum, palam dicere mihi liceat, me numquam in hanc ſententiam, quae grauiſſima intacta relinquit deſcenſurum eſſe, nimis mechanica eſt, obſeruationibus non corroborata, et a regulis uis uitalis noſtri corporis adhorret.

De altera ſententia, mercurium adfinitate chemica agere, nil habeo, quod multa oratione proferam,

— Exploſa diu iacet haec ſententia uulgo,

et inprimis ab egregio GIRTANNERO ſa-

tis

tis ſuperque labefactata eſt a) Id tamen addere mihi liceat, ſaliuam uenerea labe infectorum contagioſam eſſe inuentam, eo ipſo tempore, quo mercurium adſumſerint b), poteſt igitur hoc argumentum iis, quibus laudatus auctor GIRTANNER ad refutandam hanc ſententiam uſus eſt, adiungi.

§. VI.

Alia ſupereſt ſententia, de ui mercurii in uirus uenereo debellando, ab multis iisdemque Cell. Viris prolata: mercurium nempe in eradicando uirus uenereo agere, quasdam excre-

a) l. c. p. 331.

b) Cel. SELLE Medicina clinica p. 212. cf. Cl. GIRTANNER p. 333.

cretiones intendendo. Operae pretium erit, in hanc de uirtute argenti uiui ſententiam paulo adcuratius inquirere, rationesque pro et contra aequa lance ponderare.

Praecipuae excretiones *, quae deſiderantur, ac uiſui ſeſe obiiciunt, ſunt ſudor ac ſaliuatio. Has per excretiones, multi uirus uenereum e corpore eiici multis argumentis defendere ſunt conati. Et uidentur ſane, rite penſitatis omnibus, hi proxime a uero abeſſe.

Nullus iamiam ſuperſtes eſſe uidetur modus, quo mercurius debellare poſſit uirus uene-

* Studio conſilioque dixi, has eſſe praecipuas excretiones, omnes enim fere obiectiones, quae contra hanc ſententiam proferuntur, ſaliuationem tangunt.

uenereum, uel enim hoſtis eiiciendus eſt, uel eneruandus, neutraliſandus, (ſit uenia uerbo). Poſterius uero fieri non poſſe, firmis demonſtratum eſt argumentis. Prima igitur uia ſola ſupereſt, quam natura eligit, ut excitatis a mercurio uiribus uitalibus ab hoſtili ſeſe liberet materia, non ſecus, ac omnes materias morbidas, uel in acutis uel chronicis, uires naturae uel ſponte, uel per medicamenta excitatae e corpore eiiciunt.

§. VII.

Criticas has a mercurio excitatas euacuationes quin uocem, nullus dubito, et ſi iis, qui noſtris temporibus de morbis uenereis ſanandis ſcripſere, haec hypotheſis minime placet. Interim tamen, cum quaecunque euacuatio-

atio-

ationes in morbis, uel acutis, uel chronicis, debito ordine ac tenore a natura uel ſibimet ipſi relicta, uel remediis adiuta, inſtitutae, quae corpus a morbo liberant, uocari poſſint ac iure uocentur criſes ſeu iudicationes morbi *a)*, non uideo, cur idem locum habere nequeat in morbis uenereis, cum et in his ex ſide medicorum non uili quidem habendorum, ſanatio euacuationis ope contingat.

Hoſtile uirus uenereum e corpore per ſaliuationem eiici, grauiſſimus auctor Cel. SELLE nos decet *b)* idemque et Cl. FOR-

a) GALENVS Criſ. III. 7. Vocata eſt antiquitus haec criſeos ſpecies κρίσις κατ' ἔκρουν.

b) l. c. p. 212.

FORDYCE *a*) experientia ducti innuunt, uirus uenereum aliquamdiu in corpore latitans non melius ac citius debellari poſſe, quam per ſaliuationem *placidam*, *lentam*, ſudoremque *eiusdem* notae.

§. VIII.

Proſtant et obſeruationes, dari alia praeter mercurium pharmaca, quae hoc in morbo adhibita plus minusue proſunt, prout excretionem aliquam lymphaticam ſeu lymphatico ſeroſam augent, cuius generis ſunt Guaiacum, huius reſina, Cicuta, Aconitum praecipue Cammarum, quod multo principio phos-

a) Rewiew of the venereal diſcaſe p. 100.

phoſphoreo pollet, alcali uolatile, coluber berus, lacerta (agilis?) et q. ſ. ſ. Inde iuſta mihi naſcitur ſuſpicio, hanc de eliminando uirus uenereo ſententiam haud flocci eſſe habendam, ſed ſeria mente trutinandam, ut poſito uelut fundamento firmo, canones in ſanando morbo, qui adhibeantur, utiles igitur naſcantur.

§. VIIII.

Nec ſolius excretionis per glandulas ſaliuales cancellis inſcripta eſſe uidetur excretio lymphatica, ſed pars ſolum eſſe; omnes quippe glandulae conglomeratae, quarum praecipuae ſunt parotides ſublinguales, ſubmaxillares ac *pancreas* in cenſum ueniunt, in omnibus excretio lymphatica augetur, quod a priori, ut aiunt, conſimilis fabrica digito quaſi

monſtrat, ut iure igitur credendum ſit, uim mercurii, ſaliuationis auctricem, ad reliquas quoque omnes conglomeratas glandulas extendi. Hae uero excretiones ob tectum glandularum, uelut pancreatis ſitum, oculis noſtris ſeſe non obiiciunt, ſed ex analogia, illaeſis logices regulis, eruuntur.

§. X.

Interim tamen minime negarem, excretionem glandularum parotidearum reliquarumque in ore ſitarum praecipuam eſſe; prono ueluti fluit id alueo tum ex ſtructura tum ex uſu harum glandularum. Quot, ut paucis expediam, arteriis ornata eſt parotis glandula, ex arteria occipitali, temporali ſuperficiali,

ca-

carotide faciali, transuerſa faciei, ramo buccinatorio carotidis. Facile igitur eſt intellectu, magnam huius glandulae excretionem eſſe debere, quod et laeſiones ductus Stenoniani, qua excretio aucta eſt, nobis monſtrarunt *a*)

§. XI.

Ea porro oeconomiae animalis eſt conditio, ut retenta, uel ſegnius, quam par eſt, procedente euacuatione naturali quadam, altera adfinitate coniuncta cum priore excitetur.

 Trans-

a) *v.* HALLER *Grundriß der Phyſiologie, herausgegeben von* SOEMMERING *und* MECKEL p. 456. §. 602 *und* not. k.

Tranſpiratione naturali ſuppreſſa, uel iuſto parcius fluente, uel urina maiore fluit copia, uel aluus humectatur, tranſpiratione uero ultra, quam decet, aucta, aluus ſiccatur, urina minore fluit copia, horum prius hieme, poſterius aeſtate locum habet. Eadem regula ualet et in ſtatu morbido, ac euacuatione critica. Omnia fere colatoria incitantur, adſumto mercurio, praecipuae uero partes ſunt glandulae conglomeratae ac cutis, quae ſub mercurii uſu ſudorem fundit copioſiorem, qui iure cum Ill. WRISBERGIO lymphaticus uocari poteſt. Videmus uero, ſaepe hanc cutaneam euacuationem lymphaticam uel certe lymphatico ſeroſam, uice ſaliuationis, uel ſi malueris, excretionis lymphaticae copioſioris per glandulas conglomeratas fungi, retenta uero uel impedita cutanea exhalatione eſſe copioſiorem ſaliuationem. Camphora, balnea roſſi-

ca

ea *a*), ab Cl. RIBEIRO SANCHEZ, tot encomiis elata, quae cutem uerſus humores inuitant, uinum ex mente *Cl.* GIRTANNERI, quo ſaliuationi obex ponatur, aër frigidus, qui ſaliuationem intendit, rationes ſat certae ſunt, quae monſtrant, ſudorem ſaliuationis eſſe poſſe et reuera eſſe ſuccedaneam euacuationem, nimium igitur lymphae glandulas uerſus impetum coerceri poſſe ope tranſpirationis aliquantum intenſioris.

§. XII.

Haec generaliter dicta ſufficiant. Proferam nunc in medium, quae aduerſarii obiece-

a) Exactam horum balneorum deſcriptionem auct. BELLERMANN uide *im teutſchen Mercur Oktobr.* 1789. p. 67.

cerunt et quantum in me eſt, aequa lance trutinabo, ut, uerane an falſa ſit uel aduerſariorum, uel mea ſententia, queat diiudicari.

Prima obiectio haec eſto *a*)

Saepius ac quotidie uideri, et uehementiſſimas per ſaliuationem et reliqua corporis colatoria excretiones uirus uenereum minime debellare, ſaliuatione enim finita morbum uenereum de nouo incipere, eoque facilius, tutius ac iucundius morbum uenereum ſanari, quo exactius ab omnibus nimiis euacuationibus praecaueatur.

Et

a) Cl. GIRTANNER l. c. 329. 330.

Et ego ab eorum partibus ſto, qui *uehementem* ac *iuſto* citius excitatam ſaliuationem damnant, unoque cum his ore affirmo, illam non ſolum eſſe nullius uſus, ſed inſuper nocentiſſimam, uires corporis ac animi peſſumdando, deprimendo, floridum corporis habitum deuaſtando, morbos chronicos diros inferendo.

Celebre ſatis famigeratiſſimi *equitis* VDALRICI *ab* HVTTEN habemus exemplum, qui et undecima uice diris horrendae ſaliuationis cruciatibus ſeſe ſubiiciens, tantum abfuit, ut a morbo liberaretur, ut potius morborum agmina dirum hocce uenenum comites ſibi adſumeret.

§. XIII.

§. XIII.

Interim tamen rationes in promptu habeo, quae, ut diuerſa ſentiam, me cogunt. Tritum eſt illud prouerbium:

Omne nimium uertitur in uitium.

Quod parca quantitate, iuſto tempore, bonis ſub conditionibus iuuat, immodica quantitate, iniquo tempore, prauis ſub conditionibus peſſime nocere poteſt. Id et de ſaliuatione *immodica* ualet. Nemo enim umquam medicorum rationalium neotericorum profuſam laudauit ſaliuationem, numquam ſuis in ſcriptis docuit, eam, quo citius, eo melius, eſſe excitandam nullo habito reſpectu corporis, et quidem una eademque quantitate in unoquoque ſubiecto; ſed uno quaſi ore omnes contraria iubent, *lenem* nempe *placidam*, *ſenſim ſenſimque prouocandam eſſe ſaliuationem*, quin nec in omnibus ſubiectis eam laudant, bene

gnari,

gnari, alias inſuper dari uias, etſi non tam certas ſaliuatione cum reliquis excretionibus coniuncta, quibus uirus eiiciatur *a*)

§. XIIII.

Eſt mihi, ut ſupra iam dixi, ſaliuatio excretio critica iisdem regulis, quibus reliqua critica profluuia, parens. Fortaſſe, rite penſitatis his regulis, certi quid ſtatui poteſt.

Iure meritoque omnes omnis aeui ac omnium gentium medici ab HIPPOCRATE eiusque commentatore GALENO inde ad noſtra usque recentiſſima tempora damnarunt et damnant euacuationes profuſas, non iuſto tem-

a) Cel. SELLE ll. cc.

tempore in morbis factas, ſymptomaticas ac inutiles eas uno ore ſalutarunt. Minime enim id, quod requiritur, hiſce euacuationibus nimiis accedit, eiectio nempe omnis materiae nocentis, ad eam enim aequabilis uirium tenor, inter ſe conſpiratio, abſentia ſpaſmorum requiritur. Detrahitur quidem pars materiae, pars uero retinetur, corpus debilitatur, uires uitae peſſumdantur, unde nulla uirus ac uirium actio ac reactio, omne igitur eliminatum uidetur; ſed qui crederent, egregie fallerent, dormit uirus, et mox reſtituto aliquantum corpore uires ſuas monſtrabit. Actio inordinata eſt uiui ſolidi, quae has euacuationes inutiles ac perniciofas inſtituit, non rite materies ex humoribus ſecernitur, ſeu ut cum ueteribus loquar, coquitur, bonorum humorum copia una cum parte materiae morbidae eliminatur; incompleta igitur fuit euacua-

tio

tio ob ſpasmos, unde fit, ut poſtea uirus maiores uires acquirat debilitato ſolido uiuo, altiores figat radices, difficilius igitur eradicetur *a*)

§. XV.

Eadem eſt ratio uirus uenerei, eiicitur per easdem uires, per quas reliquae materiae eiiciuntur, per uires nempe ſolidi uiui, quae a mer-

a) Neminem fugit, quantum damni aegrotis ac uniuerſae medicinae peruerſa illa SYLVII opinio intulerit, qua ducti, nil melius fieri poſſe quidam ſibi perſuaſi ſunt, quam omnibus eniti uiribus, ut materies nocens quam citiſſime eiiciatur; neminem fugit damnum irreparabile alexipharmacorum. theriacalium, ſpirituum ac tincturarum incauta manu olim datorum.

a mercurio tenduntur, ſpeciesque febris, eliminando uirus fauentis, excitatur.

Euacuationes uero, a nimia mercurii in corpus ingurgitatione, neglecta uirium corporis conſideratione, praeparatione ac diaeta, productae, minime, etſi partem ueneni ſecum abripiant, fiant per ſudorem, fiant per ſaliuationem uel per alia colatoria, poterunt eſſe criticae; ſymptomaticae potius et iure quidem maximo ſalutandae. Intenditur, id nemo negabit, uis uitalis uaſorum lymphaticorum, intenduntur omnes omnium organorum uires, ſed non iuſto tenore, tumultuario, inordinato, ſpasmodico modo; unde fieri certo poteſt, ut profuſiſſima oriatur ſaliuatio, uehementiſſimus ſudor, continuae alui deiectiones, et tamen non eliminetur uirus uenereum ſed in corpore maneat.

Enor-

Enormis uero haec euacuatio, ſtupenda uirium proſtratio, inconſideratus hicce agendi modus non ſolum hanc adfert noxam, ſed inſuper, ſi poſtea aequo mercurii uſui locus eſſet, impedit, quo minus adhiberi poſſit. Debilitatae enim ſunt uires ſyſtematis lymphatici, laeſa eſt irritabilitas, morboſe aucta, quo fit, ut a minimo ſtimulo in enormes abripiatur motus, eosdemque, quin maiores adhuc ac antea producat effectus, et per omne aeuum aeger hac ratione non ſanetur. Longa igitur praeparatione ac cura opus eſt, qua haec ſymptomata tollantur, ut mercurii uſus locum iterum inueniat; interea uero altiores figit uirus radices, peſſimo aegroti cum damno.

§. XVI.

Id uero locum non habet, dum rite praeparato corpori, iuſta doſi, bonis auibus,

mer-

mercurius propinatur. Senſim ſenſimque augetur uis uaſorum, blande excitatur, gradatim intenditur, quae forte fortaſſis actiones inordinatae accidere poſſunt, ſtatim remediorum adiuuantium ope ſopiuntur, leniuntur: recta igitur coctio procedit, iuſta igitur eſt criſis per ſaliuationem, per ſudorem uel reliqua colatoria.

§. XVII.

Eo diutius in refutanda hac obiectione uerſatus ſum, cum ſciam, hanc inprimis eſſe maximi momenti, uelut grauiſſimam ab aduerſariis adſpici, hacque peſſumdata alias ſponte cadere *a)* Interim tamen mirum eſt,

Cl.

---

a) Cl. GIRTANNER nro. 5. 6. p. 330.

Cl. GIRTANNERVM, qui huius obiectionis ſtrenuus eſt defenſor, quique ipſe ſaliuationem non neceſſarium eſſe credit *a*) ſed potius inutilem, quin perniciofam, carbone notandam, expreſſis uerbis alio loco dicere *b*):

a mer-

a) l. c. p. 318.

b) l. c. p. 333. *Auf welche Art das Queckſilber die Luſtſeuche heile, wiſſen wir alſo bis iezt noch nicht. So viel iſt gewiß, daß es auf den Körper als ein reizendes Mittel würkt. Die Geſchwindigkeit des Pulſes wird während dem Gebrauche deſſelben vermehrt, die lymphatiſchen Gefäße werden gereizt und die Lymphe wird flüſſiger; ſo flüſſig, daß ſie durch die Speicheldrüſen ausfließt und durch die Schweislöcher ausdünſtet, wodurch das Gift aus dem Körper geſchafft wird. So erkläre ich mir Wür-*

a mercurio lympham ſolui, per ſaliuam ac ſudorem eliminari, unaque uirus uenereum abripi. Ni plurimum fallor, hac paragrapho utilem eſſe iudicat ſaliuationem, opinionemque de actione mercurii paucis ante plagulis a ſe ipſo refutatam hac pagina tuetur a).

§. XVIII.

Ad aliam ducor obiectionem:

Morbum nempe uenereum ſaepius absque euacuatione ualde ſenſibili ſanari.

Multa

Würkungen des Queckſilbers auf den Körper und ſeine Krafft die Luſtſeuche zu heilen.

a) Quae hac paragrapho de Cl. GIRTANNERI contradicto innui, eadem inuenies in *A. L. Zeitung, Jun.* 1789, nro. 181. p. 638.

Multa pharmaca, praeter mercurium, uires ſuas contra uirus uenereum manifeſtare, absque euacuatione in ſenſus cadente, ſed ignota adhuc dum nobis ratione, alias enim omnia euacuantia luem poſſent uincere a)

§. XVIIII.

Mirari ſane ſubit, has theſes et omni experientiae et ſolidis medicinae elementis contrarias proferri potuiſſe et quidem a Viro, qui

a) Cl. GIRTANNER nro. 2. 3. adiiciatur etiam nro. 4. p. 329.

qui paucis retro paginis ipſe eas reuocare uidetur. Superioribus iamiam quaedam ad primam obiectionem reſpondi, et uidemus quotidie, ſanationem morbi uenerei minus ſecure progredi, niſi euacuatio quaedam accidat. Concedo, uirus uenereum recens in noſtrum corpus receptum, quod altas nondum radices egit, absque euacuatione multum in ſenſus cadente ſanari poſſe, ſed dixi, iamiam in corpore habitans uirus eiici poſſe absque euacuatione ualde ſenſibili nego, obſeruationibus meliora edoctus, ac auctoritate fretus Viri, cuius in rebus medicis auctoritas non infima tenet loca *a*). His addo, quod ipſe Cl. GIRTANNER

a) Cel. SELLE l. c. p. 212. *Ich bin nicht nur aus den angezeigten theoretiſchen Gründen, ſondern auch wirklich aus prakti-*

NER per ſaliuationem ac ſudorem uirus uenereum e corpore eiici, contendit. Poſſet igitur ſua ex ſententia uirus uenereum et paucum et longum tempus in corpore latitans uel cum uel ſine euacuatione debellari, unum idemque igitur, cum tamen et ex ipſa Cl. GIRTANNERI ſententia mercurius euacuando agit, utrum mercurium adhibeas, nec ne.

§. XX.

praktiſcher Erfahrung überzeugt, daß da, wo das Uebel nur einigermaſſen eingewurzelt iſt, die Kranken nicht zu ſchwach, nicht Kinder, noch ſchwanger ſind, die Methode die ſicherſte ſei, wo man es langſam zu einem gelinden Speichelfluß kommen läßt. Man iſt dann nicht nur der Ausführung des Gifts, ſondern auch des Queckſilbers ſicherer. cf. FORDYCE l. c.

§. XX.

Quod ad alteram obiectionem adtinet, huius partem iamiam § praecedente refutaui, nihilque eſt, quod addam, niſi plurima pharmaca, quae certo aliqua immediata in uirus uenereo debellando, ui ualere ſcimus, eam per ſudorem praecipue euacuando prodere, qualia ſunt Guaiacum et praeſertim Aconitum ac Cicuta, certe hanc mercurii actionem adiuuare, quod et de opio ſolidus obſeruator Cl. BASSIANI CARMINATI docet *a*)

Omnes

a) Opuſcula therap. Vol. I. p. 290. Ex ſuis obſeruatt. profert, opium uires non prius monſtraſſe, quam ſudor motus fuerit, hocque erumpente, mali ſymptomata breui mitigata fuiſſe, eodem gradu, quo haec excretio cutanea incrementum ſumſiſſet.

Quae

Omnes euacuationes uirus uenereum eliminare non poſſe, in aprico eſt, ſi conſideramus critico modo *per loca conuenientia* b) omnem

Quae mediate conferunt, eo tantum agunt, ut impedimenta, quae actioni mercurialium obſtant, auferant. Huic claſſi opium maxima pro parte poteſt adnumerari, mitigando dolores, ſaliuationem nimiam compeſcendo. Conf. CARMINATI l. c. p. 291.

Non meum eſſe credo, ut integrum catalogum remediorum decantatorum, ſed breui tempore e culmine eiectorum recenſeam, plurima enim iam iam ab aliis in ordinem redacta, eorumque uires, falſae, dubiae ut plurimum, narratae ſunt.

b) HIPPOCRATES Aph. I. 21. Ἁ δει αγειν, ὁκȣ ἀν μαλιϛα ῥεπη ἡ φυσις, δια των ξυμ-

φερων-

omnem materiam hoſtilem euacuari debere, nec omnibus materiis omnia patere loca ſed ſingulis ſingula.

§. XXI.

Quae ſi uera ſunt, et quartam Cl. GIRTANNERI obiectionem refutant *a*) nempe:

Morbum

- φεϱωντων χωϱιων ταυτῃ ἀγειν. Princeps argumentum in omni criſi uel acutorum uel chronicorum morborum dirigenda, ſedulo trutinandum. Egregie id nos docuit, uti ſemper ſolet, Cl. LENTIN in aurea commentatione de hydrope in Ej. *Beiträgen zur ausübenden Arzneiwiſſenſchaft.*

a) l. c. nro. 4. p. 329.

Morbum uenereum, cum alio morbo complicatum, adhibitis hunc contra morbum remediis euacuantibus manere, et ſi ſanetur complicatus cum uenereo morbus.

In eo ſolummodo cardo rei uertitur, quae euacuationes, quibus remediis, per quae praecipua loca ſint inſtitutae.

Haec ſufficiant pro corroboranda ſententia, mercurium nempe, uirus uenereum euacuando, corpus liberare. Pro uiribus, conatus ſum, ut hanc ſententiam a Cl. GIRTANNERO, Viro, quem impenſe uereor, et ex cuius libro multa me utilia didiciſſe palam gratus profiteor, labefactatam defenderem. Fortaſſis mihi contigit eſſe tam felici, et eneruatis obiectionibus ſententiam ab

Viris egregia laude conſpicuis prolatam corroboraui.

Reſtat adhuc, ut hac ſectione proferam atque quantum quidem ſapio, explicem, quibus ſub conditionibus mercurius ſuos edat effectus, qua ratione ſaliuationem excitet.

§. XXII.

Supra iamiam auctoritate ac obſeruationibus uirorum nixus innui, terram ſeu calcem mercurialem cum phlogiſtico coniunctam ſeu mercurium uiuum nullos in humano corpore edere effectus remediales, niſi praeparationis ope, cuiuscumque demum mutatus ante fuerit. Omnia uero praeparata mercurialia unum eumdemque in omnibus corporibus

edunt

edunt effectum, nec niſi diſcrimen, quoad plus uel minus operationis mercurialium in ſubiectis uidere licet. Inde merito concludimus, eſſe quid omnibus praeparatis commune, cuius praeſentia ac maior minorue copia, ut effectus edat, mercurium aptum reddant. Quod uel antea, quam mercurius corpori ingeſtus eſt, adſit neceſſe eſt, uel adſumto mercurio in corporibus noſtris creetur. Poſterior opinio ſuos habet defenſores, Cl. GIRTANNER *a*) et quos pag. citat. adducit. Aiunt nempe, omnia mercurii praeparata, antea quam in uirus uenereum effectus edant, ab noſtri corporis humoribus ſolui, atque in nouum et quidem ſemper idemque praeparatum mercuriale mutari. Experimentis ac obſeruationibus magiſtris ſeſe didiciſſe, ſal

a) l. c. p. 216.

ſal neogenitum non eſſe, niſi acidum ſucci gaſtrici cum calce mercuriali coniunctum. Acidi animalis ſeu ſucci gaſtrici adfinitatem erga calces mercuriales maiorem eſſe, quam reliquam acidorum erga calcem. Quodcumque igitur ſal mercuriale uentriculo ingeſtum, ſtatim mutari, terram mercurialem cum acido gaſtrico coniungi, acidum igitur nitri uel ſalis communis concentratum a uinculis ſuis liberari, ac tunicas uentriculi corrodere. Ex hoc fonte oriri effectus ſalium mercurialium cauſticos et q. ſ. ſ.

§. XXIII.

Interim tamen, ut ut haec bene dicta ſunto, ſunt tamen quaedam, quae, quo minus manibus pedibusque hanc in ſententiam deſcendam, mihi interdicunt. Et quidem

quod

quod ad ſuccum gaſtricum adtinet, animalium, quae et carne et plantis ueſcuntur, nec alcalinus eſt, nec acidus, ſed neutrius generis, *nulla acidi ſigna* praebens, ſi multa uero carne ueſcuntur, acidae ſit indolis, ſi plantis uero, alcalinae, ut igitur in aprico ſit, omne fere ad mutandum ſuccum gaſtricum ualere diaetam, omnis enim omnium animalium ſuccus gaſtricus ex ipſis uaſis nec ex uentriculo exceptus, neutrius eſt generis *a*). Multa porro ingeruntur, multa in uentriculo gignuntur, quae ſaepius naturam ſucci gaſtrici ita mutant, ut diuerſiſſimae indolis eſſe uideatur *b*)

Aci-

a) Cl. GREN *Handbuch der geſamten Chemie, I. Theil*, p. 360.

b) Cel. HAHNEMANN *von der Arſenic-Vergiftung*, p. 22. §. 56. *Sehr verſchie-*

Acidum in ſucco gaſtrico exiſtens, ſalis eſſe uidetur, et quidem duabus ex cauſis. Praecipitatur nempe argentum ex acido nitri ſucci gaſtrici ope, et ſiſtit lunam corneam *a*), porro

ſchieden ſind die Beſtandtheile des Magenſaftes im nüchternen, an dieſe oder iene Nahrung gewöhnten, mit halb oder ganz verdauten Ueberbleibſeln von den und ienen Speiſen und Getränken angefüllten weichlichen oder feſten Magen. Wie uiele Umſtände verändern den Magenſaft bis zur Unkenntlichkeit! Mehr oder weniger vegetabiliſche oder thieriſche Säure, thieriſcher oder Gewächs-Schleim, Mittelſalze verſchiedner Art, und in unbeſtimmlichen Verhältniſſen, ſchmälern den Nuzzen der undankbarlichen Verſuche, die Spalanzani. Sennebier, Skopoli, Carminati *nicht aufs reine bringen konnten.*

a) Cl. BATSCH *Chemie*, p. 202.

porro ex obſeruationibus Cel. CARMINATI conſtat, poſſe ſuccum gaſtricum acidae indolis arte fieri ex drachmis duabus carnis uitulinae, uncia una aquae fontanae, et granis quinque ſalis communis; digeſtis per ſex decem horas calore ſcalae Farenheitianae graduum centum. Vulgatiſſimis experimentis, tinctura laccae uel florum cyani facillime exploratur.

§. XXIIII.

Iam uero his probe penſitatis uidetur, infirmo talo niti hypotheſis Cl. GIRTANNERI adducta, cum contra chemiae regulas ac obſeruationes pugnet. Acidum ſucci gaſtrici in uentriculo contenti, qui primus hydrargyrum excipit, cum ſit acidum ſalis communis, non uideo, cur hoc in ſucco gaſtrico

ha-

habitans maiorem habeat adfinitatem erga terram mercurialem, quam in uitro chemico? Ad hoc adcedit, uegetabili ut plurimum diaeta uti eos, quibus mercurius ingeritur, acidae igitur indolis ſuccum gaſtricum in longe aliam naturam, quin contrariam, alcalinam mutari. Nec omnis calx mercurialis cum acido ſucco gaſtrico, etſi ſemper adeſſet nempe, coire poteſt, non enim omnis per os ingeritur, ſed et per cutem. Quis uero temere negabit, hanc absque effectu in corpore eſſe? *a*)

Sed concedamus, adfinitatem acidi in ſucco gaſtrico, quidquid demum ſit, maiorem eſſe erga calcem mercurialem quam acidorum metallicorum, concedi ab aduerſario uiciſſim

debet,

a) cf. *A. L. Zeitung, Jun.* 1770. nro. 181. p. 637. 638.

debet, coniunctionem acidi in ſucco gaſtrico cum calce mercuriali maximam quidem eſſe debere, cum arctam coniunctionem acidi ſalis uel nitri cum terra mercuriali ſoluat. Quae uero cauſſa hunc nexum in corpore rurſus ſoluit, quaenam ſubſtantia inuenitur, cum quia acidum gaſtricum in uaſis cum terra mercuriali errans ſeſe coniungit? Ex mente enim Cl. GIRTANNERI *a*) mercurius non niſi per cutem e corpore eliminatur, *phlogiſto antea ſaturatus*, *uidemus enim ſub forma metallica eum e corpore exire.* Ex hac hypotheſi porro ſequeretur, uim mercurii calcinati ſeu praecipitati rubri a uentriculo recepti exiguam et longe minorem actione mercurii ſublimati corroſiui eſſe, cauſticam enim mercurialium uim non niſi ab acidis nitri uel ſalis com-

munis

a) l. c. p. 316.

munis per acidum ſucci gaſtrici a uinculis terrae mercurialis liberatis auctore cl. GIRTANNERO oriri ſupra innui. Interim uero non eſt, quod longo ſermone ac citatis chemicorum obſeruationibus, adducam, mercurium praecipitatum rubrum non eſſe niſi mercurium ope acidi nitri ab omni phlogiſto liberatum, dephlogiſticatiſſimum igitur (ſit barbaro uenia uerbo) et hac ex cauſſa ob multam materiae igneae copiam maxima pollere cauſticitate, nullum uero accidi nitri in eo exiſtentis eſſe ueſtigium *a*), deſtillatus enim non niſi magnam aeris puriſſimi (dephlogiſticati) copiam profert *b*). Quod ſi itaque quae Cl. GIR-

a) Inſtar omnium cito Cl. HAGEN *Grundriſs der Experimentalchemie*, p. 306.

b) Cel. MOENCH Mat. med. p. 382.

GIRTANNER adduxit, uera ac obſeruationibus conſentanea forent, ſequeretur, uim mercurii praecipitati rubri exiguam eſſe, et multo minorem ac mercurii ſublimati, quod uero experientia magiſtra non didicimus *c*).

Hae ſunt rationes, quibus adductus ego quidem numquam mihi perſuadere potero, hypotheſin hanc cl. GIRTANNERI omni eſſe exceptione maiorem, cum ſciam, ſimpliciorem ac ueriorem adeſſe.

§. XXV.

c) Adnotante H. BOERHAVIO Elem. Chemiae T. II. p. 330. a granis duobus uel quinque uehemens et uomitus et purgatio ſequitur. et ſi per aliquot dies eius uſus continuatur, ptyaliſmus quidem excitatur, aſt ob exulcerationem, quam in uentriculo facit, internus eius uſus exulat.

§. XXV.

Quae uero eſt cauſſa, qua mercurius in corpore effectus producit? Quae ego quidem ſcio ac ſentio, proferam.

Actio omnium praeparatorum mercurialium omnis in uno conuenit puncto, nec, niſi quoad gradum intercedit diſcrimen. Adſit igitur neceſſe eſt aliquid omnibus praeparatis commune, quo donata, agunt, adſit in omnibus praeparatis non eadem ſed diuerſa ab inuicem copia. Diuerſis et toto coelo ab inuicem abhorrentibus methodis praeparata mercurialia conficiuntur, caſta tamen chemiae doctrina nos docuit, mercurium in omnibus ad unum plus minusue phlogiſto ſuo orbari, plus minusue calois natura donari, uel id fiat triturando, uel cum acidis coniungendo uel deſtillando uel praecipitando uel ſublimando. Id

cum

cum in omnibus praeparatis ſiat, crudum hydrargyrum ſatuum ſit in corpore noſtro, concludimus, mercurium nulles in corpore noſtro niſi dephlogiſticatum edere effectus. Nec experientia nobis obſtat, unguentum nempe mercuriale, uulgo dictum napolitanum, conſtat ex axungia porci ac mercurio crudo, triturando inuicem coniunctis, quo ſit, ut in nigram maſſam abeant. Hic uero color unguenti phlogiſto ex mercurio uiuo excluſo gignitur, quod cum axungia ſeſe coniungit, cauſſa igitur eſt, cur tam cito unguentum rancidum euadat. Facile igitur uiuus Mercurius phlogiſtum ſuum exturbat atque in calcem mutatur; amalgamata, aethiops per ſe *a*) exempla ſat lucida nobis praebent. Pro temporis igitur ſpatio, quo triturantes ad eum axungia

 porci

b) Cel. MOENCH l. c. p. 242.

porci miſcentes mercurium crudum utimur, minorem uel maiorem partem phlogiſti mercurius amittit, ut inde maior uel minor uirtus unguenti natales ducat. Semper igitur ſola ea pars mercurii, quae phlogiſton exturbauit, uires edit.

Eodem modo mercurius crudus ſuper fornace hyemis tempore in patina poſitus ſaliuationem in corpore Cl. ACHARD excitauit. Ignis enim ope euaſit ſpecies mercurii per ſe calcinati, qui in aëre uolitans, per ſpiracula cutis, oris, faucium corpus intrando, ptyaliſmum excitauit.

§. XXVI.

Similis eſt ratio mercurii ſublimati corroſiui et mercurii ſublimati dulcis. Eo ab in-

uicem differunt, quod terra mercurii corroſiui ſublimati tantum acidi ſalis communis continet, quantum recipere, acidum uero ſalis communis in mercurio ſublimato dulci tantum mercurii, quantum quidem adhaerere poteſt. Adparet igitur ex hoc, et ex praeparatione horum medicaminum, unam eamdemque in utroque eſſe acidi ſalini copiam, mercurii uero non ita, minorem copiam in mercurio ſublimato corroſiuo, ſed magis dephlogiſticati, maiorem uero copiam in mercurio ſublimato dulci, ſed minus dephlogiſticati, proprius igitur ad naturam metallicam adcedentis. Obſeruatione uero magiſtra didicimus, actionem mercurii ſublimati dulcis eſſe minorem ac ſublimati corroſiui, cauſticam igitur ſalium mercurialium uim non a liberato acido oriri.

Cum mercurio dulci ſublimato, uel mercurio praecipitato albo conuenit mercurius

rius cinereus. Gignitur ex ſoluto mercurio crudo in acido nitri qui ope alcali uolatilis praecipitatur. Phlogiſto ſuo in nitri acido orbatus recipit ab alcali uolatili partem phlogiſti *a*) unde mitius euadit praeparatum, idemque, quoad uires non quoad elementa chemica, quod mercurius ſublimatus dulcis. Verum hos eſſe, obſeruatio Cel. PRIESTLEY probat, qui ex deſtillato mercurio cinereo aërem inflammabilem recepit.

§. XXVII.

Plura eiusmodi exempla proferre, inſtituti ratio uetat, nec lubet extra oleas ua-

a) Cel. MOENCH l. c. p. 257.

uagari. Subuenit immenſam praeparatorum mercurialium copiam perpendenti illud HOMERI de *terra Aegyptiaca a)*. Pharmacopoeae noſtrae ferunt:

φαρμακα πολλα μεν ἐσθλα μεμιγμενα, πολλα δε λυγρα.

Ex his omnibus, credo, adparebit, non niſi phlogiſto orbatum mercurium agere in noſtrum corpus, nec cum acido ſucci gaſtrici coniunctum in ſal ſui generis abire, ſed pro ratione iacturae phlogiſti ſui uel maiores uel minores effectus producere, et tamdiu, quamdiu in corpore noſtro phlogiſto nondum ſit ſaturatus *b*). Saturatus uero e cor-

a) Odyſſ. Libr. IIII.

b) NISBET'S *theoretiſche und praktiſche Abhandl. über die Luſtſeuche* p. 277.

corpore exit, ſub metallica forma, uel cum ſudore, uel cum aliis excretionibus lymphaticis, ſaliua praecipue, ſi ſaliuatio inſtituitur *a*).

a) NISBET l. c. p. 285. Cl. GIRTANNER l. c. p. 316.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Momenta quaedam de eligendis mercurii praeparatis, de adiuuantibus, de diaeta, de adplicatione mercurii ex- uel interna.

§. I.

Vidimus ſectione ſecunda, uires mercurii conſiſtere in materia ignea, quae in calcinatum ſeſe inſinuat, diuerſaque metalli praeparata diuerſa huius materiei igneae copia gaudere, ſeu plus minusue eſſe dephlogiſticata. Quae ſi ſtabilita ſunt, facile adpariturum eſſe credo, quaenam praeparata ſint adhibenda.

§. II.

§. II.

Agit mercurius, ut conſtat, in ſyſtema lymphaticum, irritando, uim uitalem excitando, quo lympha reſoluitur, uirus uenereum critico modo ſeparatur et e corpore eiicitur. Vim uero uitalem diuerſis in ſubiectis diuerſam eſſe conſtat. In uno uiget, in altero torpet, in uno igitur minor in altero maior ſtimulus. quo agenda agantur, eſt adhibendus.

§. III.

Haec erit cynoſura, quae nos in adplicando mercurio ducere poterit. Quo plus uis uitae uiget, eo mitius praeparatum, quo plus torpet, eo acrius erit eligendum. Duo autem potiora ſunt praeparata mercurialia, quae interne adhibentur, uel mercurius ſublimatus dulcis, et cum hoc quoad uim adfinitate coniunctus mercurius cinereus, uel mercurius ſub-

limatus

limatus corroſiuus. Haec igitur eligenda erunt praeparata et uariis ſub conditionibus uariis etiam doſibus ingerenda.

Minus ſecurus uero eſt mercurii ſublimati corroſiui uſus, mirum inter ſe uariant huius praeparandi modi, nec una eademque methodo repetitis uicibus praeparatus eumdem ſeſe exhibet, ſed uariat, quod Cel. SCOPOLI *a*) multis experimentis nos docuit, nec facile a pharmacopolis ipſis paratur, ſed ex locis, ubi magna copia confici ſolet, emitur, qui ſaepius, (horreſco referens!) arſenico, ſtygio ueneno, ſcelerata arte mixtus eſt, diriſſimum igitur ac teterrimum euadit uenenum, cita ſaepe ſaepius, ſed et lenta, aſt ma-

a) Ill. CRELLS *Chem. Annalen I. B.* pag. 24. 1784.

malignifſimâ roſione uires uitales deiiciendo enecans.

En rationes, cur acerrimum hocce praeparatum fugiendum eſſe moneam, illiusque loco mercurium cinereum uel ſublimatum dulcem ſed ex ſublimato corroſiuo minime confectum commendem. Habemus fidiſſimum praeparatum, quod diuerſae conſtitutionis ſubiectis, uel maiore uel minore doſi dari poteſt ac magna copia datum eosdem, quos mercurius ſublimatus corroſiuus parca copia, et tremula quidem manu datus, effectus producet *a*).

§. 4.

a) Hiſtoricam notionem de hodiernis mercurii ſublimati corroſiui fatis, amicis et aduerſariis uideſis in FRANCISC. ANTON.

§. IIII.

Non una eademque pharmaca adiuuantia omnibus ſingulisque ſubiectis conueniunt, ſed pro diuerſa uis uitalis conditione diuerſa erunt. Vbi iuſto maior ſtimulus a miti noſtro praeparato, et ſi parca copia dato excitatur, ubi iuſto maior actio adeſt, danda ſunt inuoluentia, obtundentia, blandientia, diluentia, decoctum Althaeae, graminis, bardanae, cichorei et ſi lubet, ſarſaparillae; uerbo, id allaborandum erit ut quantum fieri poteſt, irritabilitatem nimiam compeſcendo iuſtus tenor reſtituatur, qui actioni mercurii adeo fauet.

§. V.

ANTON. CLAD Diſſ. de proſcribendo potius quam praeſcribendo ulterius mercurii ſublimati corroſiui uſu. Argentorat. 1784. 4.

§. V.

Vt uero nimia irritabilitate partes noſtri corporis uiuae peccare poſſunt, ſic et defectu, uel torpore, quo fit, ut ſtimulus naturalis debiles edat effectus, maiorque ſtimulus minores, ac pro natura ſua debuiſſet, producat actiones. Minime torpor criſi morborum fauet, quae copiam et actionem uirium requirit, ut hac de cauſſa ſaepius excitanda atque inſtiganda ſit uis uitalis. Paucula uini geneOſi cochlearia mirum ſaepe in eleuandis uiribus, atque promouenda criſi fecerunt. Laxantia etſi non parca doſi data, nil interdum proſunt, effectus requiſitos non, niſi roborantibus adiuta edunt, inde apta mixtio corticis peruuiani cum laxantibus, uel ut *Angli* praecipue amant, radicis ſerpentariae uirginianae. Ipſe uidi, tres uncias ſalis *Seignette* in corpore atrabilario nil profuiſſe, nullos edidiſſe effe-

ctus,

ctus, datis uero nonnullis praebiis ſolutionis extracti gentianae egregie egiſſe.

§. VI.

Eadem eſt ratio mercurii. Saepiſſime ob torporem uaſorum non agit, inde, qui omnia non rite trutinat, facillime in maximum errorem cadere poteſt, ut uel acrius praeparatum eligat, uel continuo ſingulis diebus doſin mercurii augeat; magnam igitur mercurii copiam corpori ingerat, quae dato ſtimulo mox in motus ſat ualidos ſyſtema lymphaticum abripit. Ipſe reminiſcor Chirurgum magnam mercurii copiam ſub uariorum praeparatorum forma aegrotae cuidam propinaſſe, nullos uero fere edidiſſe tanta mercurii praebia effectus, donec ad uires aliquantum reſarcien-

ciendas extracta amara propinarentur. Non multum paulo poſt profuſiſſima oriebatur ſaliuatio, uires iam reſtauratas deprimens, nec niſi leniter diaphoreticis, demulcentibus, neruisque blandientibus compeſcenda.

§. VII.

Ex hoc, ni fallor, patebit, mercurium eiusmodi ſubiectis non niſi cum decoctis, ſeu aliis pharmacis conuenientibus torporem leuantibus eſſe dandum. Bene hic conducunt lignum Guaiaci et Iuniperi in decoctis, reſina Guaiaci cum mercurio iuncta, cortex mezerei, camphora, extracta amara, china, radix ſerpentariae uirginianae, mars, et q. ſ. ſ.

§. VIII.

§. VIII.

Velut corollarium ex hiſce paragraphis ſequi uidetur, et praeparationem ante curam et diaetam durante cura, pro uaria conſtitutione uariare debere. nec regulis generalibus niti. Aliis eſſe uenam ſecandam, danda diluentia, leniter humores euacuantia, cibosque parum nutricentes. Alios uero nutriendos eſſe diaeta reſtaurante, uino, extractis amaris, china, antequam mercurius propinetur. Minime igitur omnibus ſingulisque ſubiectis uinum et quidem eo ipſo tempore, quo mercurialis cura inſtituitur, ut quibusdam uiſum, propinandum eſt.

Nimis longum eſſet, ſi totum huncce amplum ſatis campum pererrare uellem. Sufficiat, me momenta tantum indicaſſe, quae in

inſtituenda cura mercuriali adtentionem maximam merentur.

§. VIIII.

Ad aliam ducor quaeſtionem, eam nempe: Vtrum adplicatio mercurii uel externa uel interna ſit anteponenda? Lis adhuc ſub iudice eſſe uidetur, multi adplicationem internam, multi uero externam laudant, praeferunt.

Reiicitur quidem a Cl. GIRTANNERO unguentum mercuriale et quidem duabus

bus e cauſſis, non rite enim poſſe copiam mercurii in corpus ingeſti determinari, quare uel iuſto maiore uel minore copia propinari. Eſſe porro quosdam homines inunctiones ferre neſcios, quales hypochondriacos, hyſtericos, morbo pectorali laborantes. Non eſſe igitur methodum adhibendam ac iucundam a)

a) GIRTANNER l. c. p. 354. *Die Einreibung der Queckſilberſalbe wird noch heut zu Tage zur Cur der Luſtſeuche von vielen Aerzten allen andern Mitteln vorgezogen.*

Interim tamen non omnino reiicienda mihi haec methodus, ac Cl. GIRTANNERO uide-

---

zogen. Doch iſt ihr Gebrauch mit der Unbequemlichkeit verbunden, daſs man niemals genau beſtimmen kann, wie viel Queckſilber in den Körper gebracht worden iſt, und daſs man daher immer Gefahr läuft, zu viel oder nicht genug davon hinein zu bringen. Auſſerdem gibt es viele Perſonen, bei welchen die Einreibungsmethode gar nicht angewandt werden darf. Allen Schwachen, Nervenkranken, hyſteriſchen, mit Bruſtbeſchwerden geplagten Perſonen, kann man die gehörige Menge Queckſilber nicht beibringen, ohne ſie in Lebensgefahr zu ſetzen. Cf. NISBET l. c. p. 279.

uidetur, ſed saepe saepius magno cum fructu adhiberi poterit, et quidem iis in caſibus, in quibus a Cl. GIRTANNERO atro notatur lapide. Bene enim nouimus, et ſani hominis uentriculum multum ab adſumto mercurio adfici, organa chylopoietica laedi, iuſtumque tenorem irritabilitatis ac ſenſibilitatis immane quantum! turbari, et quidem quo acriora praeparata adhibita ſunt, uel per longum temporis ſpatium mercurius in uſum eſt uocatus. Maiori igitur gradu hos effectus producet in hypochondriacis, morbis pectorum laborantibus, qui numquam iuſto tenore uirium uentriculi ac inteſtinorum gaudent ſed debilitate ac exceſſu irritabilitatis uexantur,

inde

inde poteſt non eſſe, quin haec mala omnia ab intus adſumto mercurio augeantur. Ex quibus, ut mihi quidem uidetur, prono fluit alueo, iis in caſibus in quibus Cl. GIRTANNER inunctiones adhibendas eſſe uetat, in iis praecipue eſſe adhibendas.

Nec ratio altera, qua inunctiones reiectas eſſe uult, multa grauitate mihi eſſe uidetur. Vel enim ex-uel interne mercurius adhibeatur, tantum ingeritur, quantum neceſſe eſt, ut effectus producat, nec ad copiam mercurii ingeſti reſpicitur, ſed ad ſolos effectus, cum ſciamus, effectum mercurii determinari non a copia ſolum, ſed et a priuata corporis

con-

conſtitutione, qua fit, ut eadem unius eiusdemque praeparati mercurialis doſis in diuerſae conſtitutionis hominibus non ſimiles eodemque tempore adparentes producat effectus. Tamdiu mercurium ingerimus, quamdiu effectus, quos deſiderauimus, non produxit, productis uero effectibus ab ulteriore ingeſtione mercurii abſtinemus.

Interim tamen non ſtatuerem, turpe illud unguentum napolitanum eſſe adhibendum, quin uellem, e pharmacopoeis eiiceretur, iucundior enim ac melior methodus praeſto eſt, qua parua mole magnam mercurii copiam, et quidem, ut maiores effectus in

cor-

corpore producat ac in unguento Napolitano ingerere poſſumus. Methodi Cll. CLARE *ac* CRVIKSHANK *a*) et inprimis DOM. CYRILLO *b*) qui mercurio ſublimato corroſiuo cum axungia mixto utitur, hanc nobis ſuppeditant ideam; Miſceatur cum uncia una axun-

a) *Neue Sammlung der auserleſenſten und neueſten Abhandlungen für Wundärzte*, *I. St.* p. 221.

b) Oſſervazioni pratiche intorno alla lue venerea del Dott. DOMENICO CYRILLO Napol. 1783. pag. 228. ſqq. Journal de Medècine T. LVIIII. p. 506.

axungiae porci rite elotae drachma mercurii ſublimati dulcis ſeu ſi mauis, cinerei, et hoc unguente ſecundum artis regulam corpus inungatur. Facile adparet, parabilius eſſe hoc unguentum uulgari, non eſſe rancidum nec breui tempore euadere et praeparati mercurialis ſat ualidi magnam copiam parua mole ac breui tempore, ſi morbus poſtulet, ingeri poſſe.

§. X.

Haec ſunt quae dicenda habui. Ignoſcat lector, ſi maculis foedata inueniet. Eſt tyronis labor, non magiſtri, et pro uiribus

te-

tenuiſſimis quidem rem meam egi. Fortaſſis, ſi ſpecimen palato tuo arridebit, tempus dabitur, quo ulterius, quae ſparſa hic adieci, ero explanaturus.

CANDIDATO

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

S. D.

E. G. *BALDINGER.*

Laetor etiam de Tua *felicitate, qui per aliquot annos in academia noſtra laudabili ſtudio, tantam eruditionis copiam* Tibi *comparaſti, ut et* Te *digniſſimum Candidatum ſummorum in arte medica honorum agnoſcant omnes! Haec eſt felicitas noſtra, multos in ſcholis habuiſſe noſtris, qui recte didicerunt artis praecepta, vt idoneos medicos res publica iure meritoque expectare poſſit! Spem noſtram non feſelliſti, ſed ſi quis umquam,* Tu *certe impleuiſti: Gratu-*

lor

lor Tibi; *gratulor nobis, gratulor mibi, qui de* Tua *in me amicitia certior factus ſum!*

Vale Vir optime, atque in poſterum etiam me ama! De meo in Te *amore; non eſt, quod dubites umquam! Scr. Marb. d. 6. April. 1790.*

5.

COMMENTATIO

DE

NECESSITATE ET UTILITATE

STUDII BOTANICI.

AUCTORE

ERNEST. CAR. RODSCHIED.

Marburgi

typis novae typograph. academ.

1790.

PROOEMIUM.

Facturusne operae pretium aliquid ſim, ſi de Botanices utilitate egerim, certe non affirmare auſim, quoniam ſatis de hac convicti ſumus. Verum, non Botanici ſolum qui queruntur de neglecto hoc ſtudio, contrarium probare videntur, ſed et qnotidiana experientia duce ſcimus, aeque in re medica ac in cameralibus inſcitia Botanices, maximos committi errores. Ipſe experientia edoctus ſcio, inter centum juvenes, illis addictos ſtudiis, quibus Botanice, ac diſciplina ſubſidiaria commodo ſervit maximo, quatuor vel quinque ejus utilitatem perſpexiſſe operam-

que

que ei dediſſe; viros eruditionis fama et laude ceteroquin conſpicuos quod quaererent audivi: Cui hoc bono?

Quantum ego quidem ſcio atque intelligo, juvenibus has excolentibus ſcientias, hoc ſpecimine academico ob oculos ponere mei eſſe putavi, quam neceſſe ſit, ſcientia addiſcatur, cujus ignari tenebris verſarentur ſpiſſiſſimis, multaque naturae legibus convenientiſſima obſcura, arcana, inextricabilia autumarent, quorum neſcii nullos ceterarum his connexarum litterarum progreſſus facere, imo quotidie mortales violenta opprimere poſſent morte.

Quae plerumque contra Botanices ſtudium obiiciuntur haec ſunt:

1) Eſſentialis ex ea non redundat utilitas
 a) ad medicum; officinalium plantarum cognitione acquieſcere et in pharmacopola niti poteſt.
 b) ad oeconomum; cognoſcendis ad ſummum graminibus, pabularibus oleraceis et pomariis contentus haecce empirice diſcere poteſt.
 c) ad ſaltuarium; illum lignorum cognitione non florum imbui oportet.

Itaque ſolummodo ad rei herbariae et naturalium rerum amantes atque curioſos ſpectat.

2) Eſt qua non alimur ars, et tempus perditum quod ei impendimus.

3) Tantum temporis in ea diſcenda conſumendum, ceteraque ſtu-

dia

dia academica poſthabenda ſunt. Tandemque
4. barbaris nominibus valde difficilis redditur.

Multos caligine denſa falſum circumfuſum perſpiciendi non ſagaces, tanti ponderis objectiones veri ſpeciem habentes ab utili jucundoque terrent ſtudio. Si unica modo, quas ſupra memoravi obiectionum veri indicium prae ſe ferret, tanti momenti omnino eſſet, ut Botanices ſtudium ad minimum arctioribus circumſcriberetur limitibus. Eo magis itaque dignae ſunt, quas his foliis recenſeamus, evolvamus, enodemus eisque contradicamus.

Demonſtrando, medicum, pharmacopaeum, oeconomum, ſaltuarium

um plane non carere reliquosque litterarum peritos utilitatem inde capere poſſe, primam quae occurrit ſatis a me refutatam objectionem exiſtimo.

Secunda fere ſe ipſa refellit oppoſitio. Quamvis Botanice proprio verbi ſenſu ſtudiis quibus alimur non adnumerari poteſt; ſane admodum frequens virorum numerus exiſtit huic ſtudio victum et amictum acceptos grata mente qui referunt. Faciamus rem ſic ſe non habere (in quod nequaquam litterarum ſtudioſum inniti, ideoque cetera ſtudia parvi pendere decet) an omnia lucri faciendi cauſa addiſci debent? Nemo Mathematicae, Phyſicae, Chemiae ſtudia ſtricto ſenſu ad victum et amictum pertinentibus adnumerabit, quam-

vis

vis praeclara iucunda et neceſſaria ſunt. Ac ſubſidiaria Botanice diſciplina utilis eſt; ad nos ex ea, uti ex omnibus ſtudiis redeunt commoda, quamvis data ei non vacamus opera. Non ſinguli ei operam navantes Botanici fieri debent; ſed quisque tot plantarum cognitionem ſibi acquirat, quot eum pro vitae conditione noſſe oportet. Quot vero noſcendarum cupidus eſt, non empirice ſed ſolide ſciat: itaque plantas examinandi methodum, linguam, Botanicorum ſyſtemata ſatis nota habeat neceſſe eſt: i. e. in rei herbariae ſtudium collocare operam debet.

Ut tertia et quarta refellatur obiectio, rationem ſtudendi tradendam cenſeo.

Scin-

Scinditur itaque tractatus in duas partes. Priore Phytologiae ſtudii neceſſitas et utilitas probanda; poſteriore, quomodo breviſſimo temporis ſpatio, facillimo et iucundiſſimo, quo fieri poſſit modo, hoc ſtudium addiſcendum eſſet: Quum vero tam prolixae et amplae delineationis uberior deductio academico ſpecimini et imprimis individuali ſituationi minus apta eſt, in neceſſitate et utilitate Botanices quam medicus inde capit tradenda acquieſcere cogor. Si laboris primitiae eadem ratione á medico et botanico publico, plauſu quo immerito Praeceptorum ſ. venerandorum comprobatae ſunt, exciperentur; ſi coniectura aſſequuta corroborarer, his me ad iſtius ſtudii utilitatem atque commodum quid conferre poſſe; tractatum hunc

hunc plus otii nactus ex propoſito explanare et erudito foro a partium ſtudio alieno proponere promitto.

Res naturales ſcrutanti, Botanico, non habeo quod novi dicam, is vero non ſcriptinnculae ſcopus: cum in prooemiis operum botanicorum quae tamen ab inſciis Botanices non leguntur, ad ſummum de rei herbariae commodis tractatum ſit; iſtam tractationem non inutilem fore, neque Botanicum meditantem plauſum denegaturum eſſe mihi aſſentior. Bene conſtat, iamiam Linnaeum de ſaepiſſime audita quaeſtione: Cui bono? queſtum eſſe, nec academica tractatione eodem titulo inſignita, quae vero in omnium manibus non eſt, ad eam reſpondiſſe, me latet; argumentorum inde

re-

repetitionem, novorum noſtro aevo accommodatiorum adiectionem totius conſpectum exhibentem minime ſuperfluum exiſtimo. Litterarum cultoribus ut exhibeam quam neceſſaria ſit ſcientia a ſexcentìs deriſa multisque ſpreta, is laboris finis. Non eſt, quod perito dicam, quanta commoda ad eam, quantaque ad mortales redirenr, pluribus ad utile iſtud ſtudium ſedulam conferentibus operam. Is enim, qui ſe profitetur Botanicum, iam ſatis in hiſtorica Botanices parte occupatus eſt, tantum ei non ſupereſt temporis, ut tot plantarum experimenta ad diverſa negotia et humanae vitae occupationes ſpectantia facere poſſit, quot requiruntur. Ex his liquet, quam neceſſaria ſcientiae botanicae incrementa ſint generi humano; et ejus-

ejusmodi latam cognitionem nondum exiſtere, ex oeconomicis multisque medicis noſtri aevi ſcriptis omnium nationum videri et perſpici poteſt.

Si quis itaque haec incrementa adiuvare annititur, de humano genere bene meretur. Cuiuslibet eſt Patriotae ut ſuum conferat, quodque ego, qnae quod dicam habeo, detinere nolim, praeſens teſtatur ſcrìptum. Sique quoſdam hoc commoverem impelleremque, ut cupiditate accenſi flamina numerarent atque ſucci canales inveſtigarent, finem intentum attigiſſe felicemque me exiſtimarem.

Auctor.

Ple-

§. I.

Plerumque contra theſin: Medicum botanicae ſtudere oportet, obiicitur: "Non ipſum
" praeparare medicamina medicum, tantum
" formulam praeſcribere, ceteraque pharmaco-
" polae integritati permittere; cum vero phar-
" maca regni mineralis confidit, medicamina
" plantarum regni concredere facile poteſt."
Ad id reſpondeo: Medicamina medicum e regno minerali petita eo tutius pharmacopolae committere poſſe (quamvis non ſemper) ac illa ex regno vegetabili. Illa plerumque certius et rectius his novit, occupatus in officina illis corporibus iam ab adoleſcentia, plus occaſionis eorum noſcendorum quam horum ei eſt, experientia et botanici ſtudii inſcitia complurium pharmacopolarum id probantibus. Rudis in re botanica medicus pharmacopaeo isque vetulae herbas colligenti initi

niti cogitur, hinc omnes ut decipiantur quam ſaepiſſime et cum vitae periculo proximos fruſtrent certo ſequitur. LINNAEUS iam tractatu academico qui inſcribitur: "Medicinae obſtacula„ iſtud commemoravit vitium hiſque verbis caſtigavit: "Inſcitia in re botanica „ pharmacopolarum plantas ſaepe adulterinas „ pro genuinis venditantium, quibus, quando intentus non obtinetur effectus abſterretur ab uſu illarum in poſterum medicus." *

Qualem medicus ſibi promittat effectum, pharmacopola Ballotam nigram, loco Marrubii vulgaris, vel Phellandrium aquaticum, Chaerophyllum bulboſum, vel Ch. ſylveſtre loco Conii maculati extrahente? ** Nonne medicus flores Arnicae praeſcribens et eorumque loco Hieraciorum, Crepidum, Hypochae-

*) C. a LINNE' Amoen. acad. Vol. III. p. 67. Holmiae 1764.

**) Haec ne ficta putes exempla, ſed facta quorum Praeceptor Cel. Dn. MOENCH fuit referens atque teſtis oculatus.

chaeridum etc. flores; aut loco Cochleariae officinalis Ranunculum Ficariam * accipiens fruſtratur?

Quamdiu lex nondum, qua pharmacopola rei botanicae imperitus medicaminum venditione interdicitur, lata et promulgata eſt; Botanicae medicum operam impendere oportet, ut iſtum ſuppleat defectum et morbo conflictantes auxiliando et conſolando adiuvet, minime vero eorum exſpectationem fruſtret.

Id unicum ſufficere ſatis putem motivum, ut cujuslibet humani rite rem penſantis officiisque ſatisfacere cupientis medici ad rei botanicae ſolidum accendatur animus ſtudium. Superſunt et alia ad hoc litterarum genus excolendum medicum provocantia.

§. 2.

* FRIEDR. EHRHART *Beiträge zur Naturkunde und den damit verwandten Wiſſenſchaften etc. Hanover und Osnabrück* 1788, *2ter Band, S.* 18.

§. 2.

Solida materiae medicae cognitione medicus imbuatur neceſſe eſt, id ne quidem ullus negare auſit. Quibus enim morbo mederi vellet remediis (quoscunque notitia inſtrumentorum, quibus utuntur inſtructos eſſe debere operarios extra omnem dubitationem poſitum eſt.) Quanam medicus ad horum cognitionem ratione pervenire poteſt Botanices neſcius?

Nonne medici armamentarii longe majore parte flores, radices, folia et gummi comprehenduntur? An quoque pharmacopaeo confidat et formularum praeceptis contentus ſit? Minime id fieri poteſt, cum hoc quod vivimus aevum ſolis radii orbem eruditum colluſtrantes inſcitiam atque ſtupiditatem olim late diſperſam profligarunt; aeque cum diverſas medico radices tum ſalia diſtinguenda eſſe, ac ſutori ſubula a cultro ſutorio dignoſcenda eſt, nos certiores redditi ſumus.

Ceteris

Ceteris miſſis id ſolum notabo: quid ſi medicamina medicus pro conſcientia explorare iuberetur, facere vellet? aut confitendo inſcitiam notam ſibi inureret, aut conſcientiam laederet. Horum delectus reſtat! Omnes, quotquot florent noſtrae aetatis eruditionis laude conſpicui eo conſentiunt, quod medicamenta cognita certa rataque ſummo gradu medicus habere debeat; quippe cum ea quoad maximam partem e plantarum regno deſumta ſunt, re botanica materiae medicae ſtudium facilius redditur, dum nullo tangit animum negotio memoria coloris odoris et entis qualitatum, corpus a quo producta ſunt noſcentem e. g. Polygonum Biſtortam, Geum urbanum, Ricinum communem noſcenti haud difficilis in materia medica characterum radicis Biſtortae, Caryophyllatae, ſeminum Cataputiae maiorum erit recordatio atque memoria. Rei botanicae itaque det operam medicus neceſſe eſſe, quod medicaminum cognitione plane carere nequit, quisque facile intelliget.

§. 3.

Eiusdem ponderis eſt, ſi in veneficatione in herbam culpa deferretur, cuius fructibus vel radicibus edendis uſus eſſet aegrotans. Si itaque in Botanices ſtudio medicus bene verſatus eſt, herba perſpecta vel demta parte facile diſtinguet, an in radicum fructuum uſu ſymptomatum cauſa ſit, nec ne, hiſque conformiter medendi rationem capiet. Fingas medicum Botanices imperitum, aut innoxiam herbam ſymptomatum cauſam et veneno obſtandum exiſtimabit, veras indicationes negligendo, hominem in mortis periculo conſtitutum incuria mori ſinet, qui liberari et eripi potuiſſet; aut contrarium curret in vitium et venenatam revera herbam innoxiam habebit, forſanque cataplaſmata adhibebit, ubi vomitoriis utendum eſſet. His accenſeri meretur, quod evenire, quamvis raro, tamen ſolet: Si medico munus phyſici fungendum demandatum eſſet, pecudumque lues graſſaretur, cuius origo ex paſcuo loco venenatas, ut ferunt, herbas progignente ducenda eſſet. Nonne Princeps in paſcuo loco creſcentes explorari

her-

herbas iuberet? Quid ei faciendum eſſet? Meliorne vitae conditio paganorum hoc caſu pendet a medico? Quot eius inſcitia, morbi venenatas originem eſſe herbas faciamus, earumque ignarus aërem aliaque obiecta auctores eſſe perhibens, quot, inquam, continuo paſcendo ad incitas rediguntur homines.

§. 4.

Plerumque fit, ut ſtudiorum commoditati inſervientes (qualicunque fieri poſſit ratione) ſcientiam limitibus circumſcribant nimis arctioribus, dicentes: Quod ſatis noſſet Botanicen medicus, cum officinales easque empirice plantas modo cognitas haberet; ſyſtemati diſcendo operam det, neceſſe non ſit, cum efficere poſſit, ut plantae ei oſtendantur nominentur, ſtructura earum memoriae imprimatur; cur denique tot tantaque plantarum copia noſcenda ſit, paucioribus exiſtentibus officinalibus? Non fieri poſſe quin linguae et ſyſtematum Botanicorum expers, ſolidam officinalium plantarum habeat cognitio-

nem, plantis diverſarum virium externe adeo aſſimilantibus, ut harum imperitus dignoſcendarum non capax ſit, affirmo; praeterea monſtrandarum omnium plantarum occaſione deſtituti ad empiricam earum cognitionem perveniendi medio caremus, tandemque hac herbarum nobis notarum copia, res medica quae hodienum laude floret, palmam veteri longe praeripit. Hoc indigenas plantas certius meliusve noſcere, hoc utiles ab inutilibus et futilibus, diſtinguere docemur, hoc denique indigenarum ut experimenta faciamus, quae hominum ſalutem et incolumitatem intendunt impellimur atque commovemur.

Verum enim vero omnes his plantarum experimentis faciendis non gaudent, ſemperque de quibus hic ſermo eſt, abhorrent; eo magis rei botanicae periti et viri ex collatis in humanum genus beneficiis voluptatem capientes ut abſtineatur quaeſtione: Cui tot plantarum cognitio ſit uſui? iure meritoque deprecantur et expetunt.

Herbas

Herbas, quarum nos nunc utilitas latet, minime ex utilitatis regno profligandas et expellendas eſſe, ob futurum nobis detegendum harum uſum nemo non facile concedet. Experientia facti teſtis eſt. Nova veteribus quotquot eunt dies ſubſtitui medicamenta, inter omnes conſtat pharmacopolas (quamvis interdum non inter medicos). Singulis creſcit res medica diebus, ſemper incrementa capit majora et emendationibus augetur. Sexcentis id illuſtrare poſſem exemplis.

Si itaque medicus rei botanicae rudis nil niſi officinales quae exſtiterunt ad id quo Doctoris gradum obtinuit tempus (forſanque harum quartam vix partem) noſſet, et quorundam annorum intervallo quinquaginta nouae, huc uſque inofficinales ac memcnti medicamina commendarentur, veteres quidem herbas medicinales easque empirice novit, ſed nova magni pretii medicamenta plane eum fugiunt! Operam itaque medicus in rei botanicae cognitionem ſolidam magis magisque excolendam et amplificandam conferat neceſſe eſſe

con-

concludo. Haec vero ne ita dici putes, ac in omnibus, quas natura profert plantis noſcendis deſudare, omnesque libros botanicos emere, omneque in ea addiſcenda tempus conſumere eum oporteret. Minime adeo demens ſum, qui his fidem faciam. Id modo velim, medicus botanicum ſyſtema qualecunque ſit, coniunctum aliis diſcat, quo ſingulas rite plantas examinare atque determinare, nec non ab auctore commendatam ac recens remedium plantam pharmacopolae monſtrare poſſit.

§. 5.

Praecedentibus de ſcriptoribus dixi paragraphis, qua re ad magni ponderis argumentum in medium proferendum per rei naturam feror, cuius medicinae cultorem impellendi tanta vis eſt, ut Botanicae ſtudere non poſſit non.

Quotquot ſunt in obtinendo Doctoris gradu medici, iure iurando obſtringunt ſeſe

ſancto

ſancto, ut amplificando, emendando, excolendoque quid humeri ferre valeant, litteras adiuvare et augere velint. Quicunque igitur experientia facta ad commodum et utile litterarum quid conferre poteſt, quae didicit, communicare tenetur; qui fieri itaque poteſt, ut notitiae rerum botanicarum expers recens ex regno vegetabili remedium certo commendet, effectus remedii accurate et exacte penſet et ad trutinam quaſi examinet? Nonne duo alioquin ſcientiarum genere inſignes viri erroribus theſin probarunt? STOERK Aconito Napello uſum eſt perhibuit, cum tamen A. Cammarum excudi curavit; niſi efformaſſet, ejus auctoritate freti A. Napellum audacter adhiberemus, fruſtraque talem ex ſpectaremus effectum, qualem is deprehendit. COLLIN Lactucae viroſae experimenta feciſſe finxit, certoque L. Scariolam adhibuit. Si id nobis non conſtaret, ſemper fidenti animo L. viroſa uteremur, ſimilique modo verſa tamen relatione falleremur; dum L. viroſa longe violentiorem exſerat effectum ac L. Scariola, doſibus itaque minoribus dari debeat, cum

con-

contraria ex parte A. Cammari effectus fortior eſt illo A. Napelli.

§. 6.

Porro operae pretium facio, ut medicus Botanices notitiam imbibat atque diligenter affinitates indaget, quod ſtructurae plantarum ſimilitudine, effectus ſimilitudinem connexam ſcimus. A longe quidem majore medicorum numero haecce propoſitio reiicitur; verum primo intuitu ſpeciem veri non ſolum habet ſed et experientia confirmatur; e. g. complures Tetradynamiae plantae, medicamenta antiſcorbutica, major Monadelphiae pars medicamenta mucilaginoſa, plurimae Umbellatae violenter in corpus humanum agentes exiſtunt plantae. Generaliter quidem non convenit; at in plantarum Phyſiologia non ita verſati ſumus ut ſemper exacte determinare poſſimus. Quamvis quam ſaepiſſime experientia nos doceat, aliam naturalis claſſis plantam edulam, aliam medicamentum, aliamque venenum eſſe, tamen propoſitionem

ſupra

ſupra traditam neutiquam plane reiiciendam autumo. An non eſſentialia, quae in alia venenum, alia medicamen ſunt aliaque non apparent majore vel minore gradu, majore vel minore copia adeſſe poſſunt? Non fieri poteſt, ut plus minusve involvantur atque implicentur? Haud raro contingit, ut unum idemque modo noceat, modo ſanet non mutata eius natura, tantum gradu, aut diverſa corporis indole ad quod adhibetur. Nonnihil ad evertendam propoſitionem exempla allegata ſunt, ubi planta affinitati prorſus contrarios produxerit effectus; haecce vero exempla ſaepe a claſſe non naturali deſumta fuiſſe, ſatis conſtat. Naturalium reapſe claſſium odoratu et guſtu affinitates conveniunt, iſtiusque rationem habendam eſſe, brutorum inſtinctus non experientia ſed mere odoratu commotorum, ipſis noxias ut vitent plantas docent.

Ceterum regulae eſſe exceptiones uti omnium rerum, infitias ire nequeo. Si fallor hoc puncto; juveni ignoſcas L. B. meliora que-

que doceri patiar. Errare humanum, inquit Cicero, ſed niſi inſipientis in errore perſeverare; nunc quidem non eſt, cur ſententia diſcedam. Ipſiſſima objectio: Chemiae ope nil analogum in affinium plantarum viribus deprehendi poſſe, inſufficiens ratio rejiciendae propoſitionis ſupra memoratae videtur. Pleraque naturae opera captui, ſenſibus et chemicis operationibus noſtra aetate quamvis magnopere excultis ſatis nondum accommodata ſunt.

§. 7.

Tandem argumenti tanti ponderis, ut niſi omnibus antecellat, certiſſime tamen graviſſimo par haberi poſſit, mentio fieri debet. Omnes queruntur medici, de haud raro magni ponderis medicamentis deperditis et veteratis in officinis offenſis, quibus exſpectato falluntur effectu nec non de carioris pretii pharmacopaeorum rationibus. His, ſolido Botanices ſtudio defectibus aliquantulum occurri poſſet. Rite ſi novimus indigenas plantas, quarum experimenta faciendarum facilis

et

et minus improbus labor, hacce ratione exoticis paſſim carere poſſumus medicamentis. Obſervationes et explorationes eximiae eruditionis virorum exoticarum plantarum copia olim neceſſaria plane nunc carere poſſe, reddidere nos certiores. Quorum exempla in promtu ſunt: Cari pretii Sarſaparillae, cuius eſſentialia ſaponacea praeterea navim penetrante aqua marina exſuguntur, radices Arctii Lappae, Saponariae officinalis, Cichorii Intybi, Caricis arenariae; Contrajervae, radix Achilleae Millefolii, nec non ipſi cortici Cinchonae officinalis quodammodo Gentiana lutea, Gentiana Centaurium, cortex Aeſculi Hippocaſtani, * Fraxini excelſioris, Salicis viminalis, S. capreae, S. fragilis, S. albae **, flores Matricariae Parthenii, M. Chamomillae *** ſemen Paſti-

* Della febrifuga ſacolt. dell'ippocaſtano litt. ed. off. di Ant. Turra Viz. 1780.

** *Mediciniſche Annalen*, *Th. I. S.* 378.

*** BALDINGERS *Magazin St.* 7. *S.* 552.

Paſtinacae ſativae, ſolia Ilicis Aquifolii * Imperatoria Oſtruthium, Arnica montana ** Geum urbanum ** Gratiola officinalis † ſubſtitui poſſunt.

Complurium indigenarum nondum officinalium plantarum medici experimenta fecere. Gratias habemus immortales humanum genus adeo amantibus, ut quibus eſt res anguſta domi auxilio adeſſe et ſuſtentare minime infra dignitatis gradum poſitum eſſe cenſeant!

Pluribus virorum expertorum explorationibus illa materiae medicae pars magis magisque perficeretur, ſingulique, quibus hominum inco-

* Hiſtoire de la Societè royale a Paris 1776. Tom. I. *Gött. gel. Anz. Zug.* 45. *St.* 1779. FRIZE *med. Annal.* 1. 371.

** Soc. med. Havn. Coll. Vol. II. p. 162.

*** RUD. BUCHHAVE obſ. circa radicem gei urbani (Caryophyllatae) vires praecipue in febribus intermittentibus aliisque morbis, Havn. 1781.

† FRIEDRICH EHRHART l. c. p. 38.

incolumitas et artis perfectio curae cordique eſt, ut ſuum conferant, tenentur. His efficitur ut veteribus exſiccatis et elutis indianis et africanis reſinis, radicibus etc. facile careamus, harumque loco recentes, melius operantes, climati et corporis conſtitutioni accommodatiores adhibeamus. Ruſticam gentem et plebeiam neque pharmacopolium territurum eſt, neque morbum inſanabilem ingraveſcere ſinet, ſed medicum, quid ſibi ut morbus ſanetur, faciendum interrogabit. Ut brevi praecidam, medicus medicaminibus vilioris pretii adhibitis tutius et citius morbos curabit et plebeiorum fiduciam ſibi facilius conciliabit, et quotquot ſunt quos gravis premit morbus omnibus renovationis hujus ſalutaris conſortibus beneficia grata mente accepta referre non poſſunt non.

§. 8.

Medicum, ipſe qui cogitat et litteris ſtudet, Phytologiae ſtudio plane non carere poſſe, ſatis iam probatum exiſtimo, huicque tractatui

fini-

ſiniendo votum addo, ne in poſterum aliquis in verba erumpere cogatur: Quod longe major medicorum numerus, nil aliud niſi aliquos terminos technicos calleat, quibus nullam connecteret notionem; porro ſtudio medico operam impendentes, plantae characterem (quem ſuſque deque habebant) aliquando ſigno diagnoſtico ſimilis ſed venenatae herbae fore; tandemque a neglecta characteris diſtinctione futuram hominum ſalutem et ſexcentorum vitam dependere, cogitarent et perpenderent.

THESES.

I.

Color effectus mixtionis corporis; a minore vel maiore ignis elementaris copia in corporis mixtione inventa pendet; nullo vero modo a lucis radiorum reflexione ex Newton *ſententia ſive oſcillatione ſecundum* Eulerum.

II.

Cauſam proximam ſcorbuti defectum nutrimenti eſſe exiſtimo.

III.

Periculo obnoxia et incerta Synchondrotomia operatio exiſtit.

IV.

Fluxus coeliaci cauſam neque profluvium praeternaturale chyli, neque ex ſententia Vogelii *cacochymiae ſpeciem diarrhoea colliquativa ſeroſa ſui generis coniunctam; ſed veriſimile fluorem album inteſtini recti eſſe credo.*

V.

Forcipis brachia ad aures foetus ſemper ſunt applicanda, in quo demum cunque diametro caput ſit poſitum, et poſt applicationem in apertura pelvis ſuperiori facies ſemper in diametrum obliquum dirigenda eſt.

VI.

Omnia combuſtis vegetabilibus accepta ſalia, alcalia ſunt, nulla omnino eorum diſtinctio ſive ex abſinthio ſive ex geniſta ſive ex alia herba praeparata, exiſtant.

VII.

De depreſſione et extractione cataractae ſententia certa lata non valet, nulla methodus excluſive alteri anteponenda eſt; evenit, ut certe deprimendum et extrahendum ſit.

VIII.

Methodus alta lithotomiae non plane reiicienda ſed certis caſibus neceſſaria.

6.

Commentatio

de

Quaeſtione

Lotii ſuppreſſio

unde?

Auctore

Frid. Henr. Lud. Schwarze

Medicinae Doctore.

Marburgi Cattorum

typis novae typograph. academ.

1791.

Felix qui poterit rerum cognoscere cauſas!

I.

Argumenta pro dignitate Thematis.

Iubet Academia ut ſcribam: fiat Voluntas!

Morborum miſeròs mortales excrucianti-um aginen mente perluſtrans, quaerens, quem eligerem, tandem, hocce illoque rejecto, Iſchuriam delegi.

Non me fugit magna ſcriptorum hujus morbi caterva, nec latet in his proſtare ſcripta omnibus probatiſſima, quae meum laborem prorſus inutilem reddere videri poſſint. Ve-

rum enim vero pluribus motus rationibus, allata Contraindicantia putavi contemnenda. Quaenam ſint hae rationes? — Legite!

I. *Iſchuria* eſt morbus graviſſimus, quem apprime noſſe Medici intereſt; quoniam

1. haud infrequens. praeſertim noſtro Veneri Bacchoque dicato luſtro, obſervatur.

Perpendant dubitatores ſexcentas morbi cauſas, ut credere diſcant. Nullum Clima hicce abhorret morbus; nullum fugit anni tempus; Lactentem invadit ac Senem; Vetulam trucidat marceſcentem, nec parcit florenti puellae; Sanguinei gaudia turbat et quietem Phlegmatici.

2. Cauſarum detectio ſaepe ſaepius altiſſima premitur caligine. quam penetrare nec *Coi Senis* acies, nec BOERHAVII perſpicacitas, nec lynceus STOLLII viſus ſufficeret *a*)

3. Acerbiſſimis exagitat corpus doloribus. Humanitas vero Medici, qua prae aliis illum decet eſſe ornatum, ejus officium, iuſtaeque curationis praecepta flagitant, ut quam citiſſime dolores removeat, ſal-

a) *Argumento ſit exemplum Crotinii cujus mentionem fecit* Morgagni *de Sed. et cauſ. morbor. ep.* 42, *n.* 13. *nec-non caſus in* Franc. Home *kliniſchen Verſuchen, Krankengeſchichten und Leichenöfnungen, aus dem Engl. Leipz.* 1781. *pag.* 315. *ſeq. deſcriptus.*

tim leniat. Quî vero poterit, ſi lateat cauſa doloris?

4. Maxima producit mala priusquam enecat. — Proſtat enim ex obſervationibus Ill. STOERKII *b*) urinam in cerebrum eſſe delatam, indeque capitis dolores, viſus coecitates, mentis abalienationes, profundos ſopores, vehementes convulſiones, lethiferasque demum apoplexias eſſe producta. Sed ut chartae, tempori et operae parcam, Lectores adeant velim HAESELERI diſſertationem *c*) qui collectis veterum re-

b) *Annus medicus II, pag. 256. 257. confer.* Riverius *libr. XIV. Prax. Cap. 8, pag. 234.*

c) *de morbis a lotio retento Goett. 1779, §. 5. — Conferantur:* Simon

centiorumque obſervatis egregie, comprobat: Iſchuriam eſſe morbum periculoſiſſimum.

5. Non niſi rariſſime natura ipſa morbo medetur, vel profuſo urinam redolente ſudore, vomitu, ſalivatione aut alio modo.

Neuburg *de acrimonia urinoſa in C. H. retenta Goett. 1783. et huic diſſ. annexae literae Cel.* Marxii. — *Collecta quoque legere licet mala ex lotio retento in fragmento diſſertationis de Iſchuria, quod ſolvente* Erneſto Munzio *prodiit Marburgi 1790, pag. 20 ſeqq.* — Grumbrecht *de praecipuis morbis quae ex interceptis excretionibus proficiſcuntur, Helmſt. 1769, §. 17.*

6. intra paucos dies mortem inferre valet. Qua de re videantur plura in modo laudato MUNZII fragmento. *d)*

II. Ego ipſe, dum Halae hyeme 1777 literis operam dabam, diri hujus morbi ſequelas ex parte perpeſſus ſum. In platea glacie tecta decidens, tanta vi vertebrae lumborum in lapidem illidebant prominentem, ut inde nervorum ad veſicam urinariam abeuntium oriretur Paralyſis, mingendique denegata facultas. Aptis morbo et cito ſatis adhibitis remediis b: BOEHMERI ſcientiae ac meritis ſanitatem debeo redditam.

---

d) pag. 26. 27.

III. Perpauci tantum Auctorum quorum de Iſchuria ſcripta exſtant abſolutum quidquam edidêre. Fuerunt enim, qui *omnia circa mictionem vitia e)* pertractare conati ſunt, ſed ob arctos libelli fines, arctiſſimam quoque morbi deſcriptionem tradi-

e) Zuber *de veſicae urinariae morbis, Arg.* 1771. Mich. Troja *über die Krankheiten der Nieren, der Harnblaſe und der übrigen zur Ab- und Ausſonderung des Harns beſtimten Theile. Ein Auszug aus dem Jtal. Leipz. 1788. In hoc libro nihil de Iſchuria vera inveni.* I. Benjam. Machnitzky *de vitiis circa Se- et Excretionem urinae, Erford.* 1736. (*praeſ.* Iuch.) I. Iac. Schill *de vitiis urinae vias et vicinias illarum affligentibus, Tub.* 1733. Conr. Henr. Hier. Rühle *de quibuſd. Excretionis urinae vitiis, Ien.* 1764 (*praeſ.* Nicolai). I. Conr. Riſs *de vitiis mixtionis gravidar. parturient. et puerperarum, Arg.* 1780.

derunt. Alii modo *Iſchuriam veſicalem f)* elaborandam ſubiêre. — *Gravidarum Iſchuriam g)* alii objectum elegerunt ſcribendi. Dilucidarunt nonnulli *urethralem*

---

f) I. Baptiſta Bergſt *de I. vera L. B. 1748.* Guil. Budd *de I. vera, Edinb. 1760.* I. Andr. Holzhauſen *de ſuppreſſione urinae vera, Trajecti ad Rhen. 1770.* Rob. Buck *de I. veſicali Edinb. 1780.* Fried. Ioſ. Haas *de I. veſicali cum enormi veſicae extenſione, Argent. 1783, modo cauſas, quae in foeminis I. veſic. producere poſſint, recenſet. Conferantur de Punctura veſicae urinariae:* Herm. Pet. Meyer *de Punctura veſicae urinariae in Iſchuria veſicali, Marb. 1727.* Petr. Grillſon (*praeſ.* Adolph. Murray) *de Paracenteſi cyſtidis urinar. Upſal. 1777.* I. Wilh. Wagner *de I. veſicali atque veſicae Paracenteſi, Argent. 1779.*

g) I. Petr. Nordmann *de I. gravidar. Arg. 1758.*

modo *Iſchuriam in viris* obviam *h*). *Cauſas* eruere ſtuduit BLUM *i*). Plures *ſingulam modo obſervationem* vulgaverunt *k*). *Morbos ex Iſchuria* indicare

h) Car. Frid. Brockhauſen *de Excretionis urinae impedimentis a vitiis membri virilis*, *Arg.* 1781: Lafont de Treſſinet *reflexions ſur les maladies de l'Urethre, ou précis d'obſervations pratiques ſur une methode particulieré de traiter les maladies, vulgairement appellées Carnoſités*, *Paris* 1785. I. C. Eberhard *Commentatio morbor. Urethrae &c. Sect. I. Ien.* 1787.

i) Conr. Hardov. Blum (*praeſ.* Gerike) *de I. cauſis*, *Helmſt.* 1736. Petrus Ianſſen *de probe attendendis mictionis imminutae et ſuppreſſae variis cauſſis*, *Hal.* 1761. (*praeſ.* Büchner.)

k) I. Eilhard Reinik *de uteri delapſu ſuppreſſionis urinae et ſubſecutae mortis cauſa*, *Gedani* 1732 (*praeſ.* Kulmo). Bluhmenthal *de I. hyſte-*

operam dederunt alii *l*). Alia quae de morbo noſtro innotuêre ſcripta nimium deſiderandum relinquunt Lectoribus, ob tempus, quo Auctor eorum in vivis degebat, a noſtris temporibus nimis remotum *m*). *Recentiorum* ſcripta ſunt: *n*)

---

ro-cyſtica. de Bingen *de Carnoſitate veſicae morboſa, Altorf.* 1759. Mich. Wolff Fleckel *de urinae ſuppreſſione ex Colica, Hal.* 1772. Ludwig *Progr. de I. ex tumoribus veſicae, Lipſ.* 1767. *c. tab. aenea.*

l) Car. Henr. Haeſeler *de morbis a lotio retento, Gott.* 1779. Sim. Neuburg *de acrimonia urinoſa in C. H. retenta, Gott.* 1783. I. F. Grumbrecht *de praecipuis morbis, qui ex interceptis excretionibus proficiscuntur, Helmſt.* 1769.

m) Andr. Schilling (*praeſ.* Sebitz) *de urinae ſuppreſſione, Argent.* 1651.

Negandum vero non eſt, multa huc pertinentia, paſſim in aliorum alius argumenti ſcri-

---

Nic. Mourik *de I. L. B. 1668.* I. V. Flammerdinge (*praeſ.* de le Boe Sylvio) *de Iſchur. Lugd. Bat. 1671.* I. Albr. Papke (*praeſ.* Meibom) *de ſuppreſſ. urinae, Helmſt. 1676* I. Siegfr. Kieſsling *de I. Lipſ. 1682.* (*praeſ.* Rivino). Gottfr. Berger *et* Lehmann *de I. Vitenb. 1691.* Chr. Gottl. Bornmann (*praeſ.* Schulze *de excretione urinae imminuta et ſuppreſſa, Hal. 1738.* Middelaar *de Iſch. L. B. 1739.* Iac. de Witte *de I. L. B. 1748.* Fr. Borchard (*praeſ.* Cartheuſer) *de Iſch. et Dyſuria, Francof. ad Viadr. 1750.*

n) Georg. Dav. Albrecht *de Iſchur. Gott. 1767. Remarks on morbid retentions of Urine by* Ch. Brandon Trye, *London 1784.* Adrian. Sanderus van der Boon Meſch *de impedita urinae excretione L. B. 1786.* Erneſt. Munz *de Iſch. Marb. 1790.*

ptis occurrere, quae, ſuo quodque loco poſitum, multum ſane ſacerent et ad penitiorem cauſae morbi ejusque effectus cognitionem, et ad aptiorem morbi curationem.

Optimo nunc iure interrogáre quisque poſſet: an ego ampliſſimum huncce campum in libello hoc academico emetiendum ſuſcipere vellem? — Eheu! abſurdiſſimum foret.

Quid vero? Si aequi rerumque gnari iudices leve hocce ſpecimen, horis ſucciſivis perpaucis conſcriptum, approbatione haud prorſus indignum cenſerent? — Quis tunc vetaret, quin ego huc maxime ſpectantia Excerpta mea atque Collectanea haud contemnenda, (quae fidum pulpitum ſcriptorium vel amicorum adhucdum abſcondit oculis) in ordinem congererem publicique facerem iuris.

Quodſi vero Iudices artis medicae periti me, ſpecimine hoc perlecto, tanto operi, ad tempus certe imparem iudicarent, meque nimis audacem accuſarent, captumque conſilium mihi diſſuaderent; tunc, ſancte promitto, aeternae tradam, quae collegi, oblivioni. Haud coactus immatura obtrudere, impudentis eſt! —

Morborum cauſae, quas ſenſuum ac iudicii ope, aegrotorum vel adſtantium relatione, ſymptomatum ſive phaenomenorum concurſu detegere ſtudet medicus, aegerrime haud raro eruuntur. Earum vero indagatio Clinico rationali maxime neceſſaria iure habetur, cum nemo ſe morbum vere cognoviſſe affererc poſſit, niſi cauſam ejus detexerit, et omnis exquiſitae ſanationis cardo in ſucciſa morbi cauſa vertatur. *o*)

o) Petr. Ianſſen *diſſ. cit.* §. *IV*, *p. 10.*

„ Morbus enim ultra cauſam, i. e. ſine
„ cauſa, non perdurat. Imo haec cauſa to-
„ tam morbi, effectus ſui, naturam conſtituit
„ ideoque ab hoc re ipſa vix diſcrepat. Quid-
„ quid in morbo eſt, in cauſa ejus inveniri de-
„ bet. Ea demum ſolida eſt morborum co-
„ gnitio, quae, quomodo in ſuis ſinguli de-
„ terminatis cauſis conſiſtant, demonſtrat. "
Haec GAUBIUS! *p)*

De magna itaque huius cauſarum ſcrutinii in Praxi medica utilitate optime perſuaſus, *Lotii Secretionis oppreſſae cauſas* a variis obſervatoribus communicatas colligere, ad Claſſes generaliores reſtringere, (quo citius perluſtrari queant, agendique modus clarius perſpiciatur,)

---

p) Inſtitut. pathol. edit. altera, § 67.

atque in convenientem, ut mihi quidem videtur, ordinem redigere ſtudui.

Semper, ubi potui, in margine adieci obſervatorum ſcripta, ut ſtatim, quem conſulat, ſciat lector, brevi (temporis ſic ſuadet anguſtia) cauſarum relatione non contentus.

Solidam totius morbi pertractationem, quoad ejus naturam, differentiam, ſymptomata, cauſas, ſigna, decurſum, medelam, nemo deſiderabit. Speciminis academici limites, tempus, aliis potioribus officiis explendis dicatum, nimii ſumtus, tantum laborem prohibent. Dummodo haecce, pauca licet, quorundam Lectorum commodis inſerviant; dummodo plurimis adrideant, vel Sapientibus certe non diſpliceant, erit, de quo magnopere mihimet ipſi gratuler.

II.

Definitio.

Mingendi facultas penitus oppreſſa Scriptoribus *Iſchuriae* nomine celebratur. Denotat enim Iſchuria, vi vocis, ab ἴσχω cohibeo et οὖρον urina: Emiſſionem lotii cohibitam. — Certe non in omnes mictionis ſublatae ſpecies quadrare videtur prolata definitio. Docuit enim obſervatio non ſemper plenariam urinae retentionem adfuiſſe in Iſchuria Cyſtoplegica, I. paradoxa Sauvageſii. *q*) Imo citra ullum dolorem aut lotii reddendi ſtimulum, perpetuum

q) Boiſſier de Sauvages *Noſologia methodica*, *Tom. II*, *p. 534*. *Journal de Medicine 1755*, *pag. 11.*

tuum aegrotantes vexavit ſtillicidium *r*), quo multi decepti, nullam urinoſi humoris remoram atque collectionem ſuspicati ſunt, ſed pro incontinentia urinae habuerunt periculoſam, malignam hancce Iſchuriae verae ſpeciem. Quid? quod remanens collecti lotii plurima pars, cyſtidis parietes ſenſim ſenſimque diſtendebat, in tumorem elevabatur hypogaſtrium: nihilominus, aliis coincidentibus ſeducti phaenomenis, vel graviditati, vel uteri ſcirrho aliisve, Symptoma hoc, viri in arte bene verſati, male imputaverunt *s*). Elucet hinc, Diagnoſin

r) Morgagni *de Sed. et Caus. morbor. lib. IV, ep. 56, no. 12 — ep. 39, 33.*

s) *conf.* Home *l. c. pag. 315 ſeqq. praecipue, p. 315 et 329, maiorem urinae quantitatem reddidit Iſchuria veſicali detentus, quam ſtatu ſano. Idcirco*

ſuis premi difficultatibus! — Quum vero in omnibus detur exceptio, cum a potiori denominationem ſoleamus deſumere, ſtabit et ſuus allatae definitioni valor.

Imminutam ſecretionem, Dyſuriam et Stranguriam non niſi gradu ab Iſchuria differre; a cauſis haud raro ſimilibus proficiſci; unam in alteram ſaepe ſaepius tranſire; hoc quidem unanimi clarorum virorum ſententia hodie evictum eſt. An itaque haecce praeferenda ſit definitio, lectores decidant: Iſchuria eſt functionum laeſio a collecto alicubi latice urinoſo.

„ſic definiendam cenſet I. veſicalem: „Dyſuria cum tumore hypogaſtrii „et in progreſſu morbi vomitu et ſin„gultu."

III.

Diviſio.

Emiſſionem lotii per urethram duplici modo cohiberi poſſe, nemo non videt. Impeditur enim

vel urinoſi laticis e ſanguine ſeceſſio, percolatio; (qua vero haud peracta non poteſt quin tollatur eius per urethram expulſio):

vel urinae quamvis ſecretae effluxus intercipitur, quando iter eius conſuetum, qua demum cunque cauſa pervium haud exiſtit.

Inde nata eſt illa Auctoribus recepta Iſchuriae in *veram* et *ſpuriam* ſive *notham* diviſio.

Placuit aliis, praeſertim Galliae Scriptoribus (La Motte, Petit) alia mictionis ſuſpenſae

partitio, quam huc attuliſſe e re fore iudicavi. Illis nimirum lotii ſuſpenſa Secretio audit: *Suppreſſio*; ſecreti vero ſtagnatio, *Retentio* audit.

Arridet, fateor, et mihi haecce horum virorum diſtinctio, morbi naturae magis conſentanea, clariorem certe morbi ideam ſubminiſtrans.

Quid enim, quaeſo, cogitaret arte medica non initiatus lector ad vocem *Spuriae Iſchuriae?* — Num minus retinetur urina in renibus ureteribusve haerens? — Num minus haecce prae vera ſecum fert incommodi? — Num? — Sed cur perſtringendo termino technico tempus teram? Faciles ſimus in verbis, modo conveniamus in re!

Eſt ergo *Iſchuria ſpuria* (notha, falſa, illegitima) ſecundum auctores: ſublata urinae per urethram expulſio, propter defectum

ejus in veſica urinae ad tempus aſſervandae dicata. Deficit vero hic urina, quando

1. aut nulla plane ſecernitur: *Lotii Suppreſſio;*

2. aut ſecretum iamiam lotium, ob praepeditum iter in veſicam

vel a) ſtagnat in renibus: *Retentio renalis;*

vel b) in ureteribus: *Retentio ureterica;*

vel c) abſorptum iterum ſanguini admiscetur;

vel d) disruptis vaſis, ab ulcere, gangraena, ſphacelo eroſis in aliena diffluit loca.

Iſchuria vera adeſſe dicitur:

1. quando lotium haeret in veſica: *Retentio veſicalis.*

2. quando ob male affectam urethram exitus urinae denegatur: *Retentio urethralis.*

Majori forſan in Praxi utilitate depromeres a cauſis Iſchuriae partitionem. Omnes enim, quotquot numerantur cauſae impeditae aut Se- aut Excretionis urinae, ad quatuor Claſſes generaliores reducere poteris.

Fingamus hominem qui bene valet, cujus Organa Secretioni et Excretioni urinae inſervientia nullo laborant vitio! Iſchuriae obnoxius ille fiet, ſimulac

1. vel deficit humor ſecernendus ſanguini renes intranti;

2. vel viarum adeſt anguſtatio;

3. vel virium propellentium, expellentium reſolutio;

4. vel canalium alicubi cohaeſio, vulnere, ruptura, eroſione, ſublata.

Plura inferius!

IV.

Generaliora quaedam de Suppreſſione urinae atque Retentione veſica vacua:

Providae naturae beneficio homini quidem duo plerumque tributi ſunt renes, ſed exſtant in libris Anatomicorum exempla, ubi unicus *t*)

---

t) Car. Frid. Kaltſchmid *Progr. de uno rene in Cadavere invento., cum tab. aen. diſſertationi* I. H. Iaeniſch *de Taenia, Ien. 1755 annexum.* Thom. Bartholin *Anat. reform. p. 178.* Halleri *elem. Tom. VII,*

tantum ren, grandior et in medio poſitus, lotii ſecernendi munere fungebatur, qui vero confluxu finium infimorum renis utriusque, ortus erat *v*). Alias obſervationes deficientis alterutrius renis, ſive vitio primae conformationis, ſive ex morbo praegreſſo, collegit HALLERUS *x*). Quandoque vero tres *y*), quatuor totidemque ureteres *z*), imo quinque,

---

p. 242. *Ejusd. primae lineae phyſiol.* §. 772 *nota*, *Wrisbergii* 169.

v) *conf.* Home *l. c. pag.* 319.

x) Haller *loco citato*.

y) Fernelius *lib. I, cap.* 7. — Morgagni *adverſ. anat. p.* 64. Euſtach. *opuſc. anat. p.* 28, *tab.* 4, *fig.* 5.

z) Petrus de Marchetti *obſ. med. chir. p.* 49. — Haller *elem. VII, lib.* 26, *pag.* 243.

ſecantis conſpectui ſeſe praebuerunt. Sed haec, ut rariora, quae monſtri aliquid alunt, mittamus!

Quis vero eſt, quin affirmet, hominem unico rene magis Iſchuriae ſpuriae patere, quam cui binos natura conceſſit.

Quoad frequentiam, qua homines invadit ſpuria ſic dicta I. multo certe inferior eſt I. vera, cum lotii percolatio plerumque alterius renis beneficio continuetur.

Docuêre enim cadaverum diſſectiones haud paucae, unum renem ex parte, quid? quod prorſus corruptum *a*), exulceratum, aqua re-

---

a) Bonneti *Sepulchr. lib. I, Sect. XV, obſ. 26.* Troja, *p. 23, 27, 59.*

repletum, in adipem converſum *b*), induratum, exeſum, abſumtum fuiſſe, officio ſuo itaque omnino imparem; altero, dum viveret homo, ſano ſerumque a ſanguine quam optime ſecernente *c*).

Iſchuria ſpuria ſecundum Auctores locum habere nequit, niſi vitium quoddam ſimile aut diſſimile, in ambobus ſimul obtineat renibus ureteribusve. Utrumque vero renem vel ureterem interdum adeo affici ſimul; ut uno affecto ſtatim quoque alterius pereat functio;

---

b) Seip (*praeſ.* Kratzenſtein) *Sylloge obſervationum varii argumenti*, Copenh. 1782, *uterque ren adipe compreſſus Iſchuriam induxit.*

c) Euſtach: *de renibus cap. 45. Breslauer Sammlungen 1748.*

nobis PETRUS FORESTUS auctor eſt. Aſſerit ille *d*) ſe aegrum vidiſſe, cui, uno licet rene obſtructo a calculo, urina plane ſuppreſſa fuit. „Facit autem, ut cum Celeberrimo Gaubio loquar, proximus iſtarum partium nexus, et mutua actionum, quas exercent, conſpiratio, ut altera alteram facile in mali communionem pertrahat. „Sic inter iecur et veſicam fellis, inter ſtomachum et inteſtina, inter oculum et oculum, inter renes, ureteres et veſicam, inter renes et cutim, magnum imo fere arctiſſimum, Clinicorum obſervationibus extra omnem dubitationem poſitum, intercedit commercium.

Thom. Williſius *lib. de urinis cap. 5, pag. 396.* — Haller *l. c.*

d) *lib. XXIV, obſ. 29.* — Salmuth *obſ. Cent. II, obſ. 82.*

V.

Conditiones neceſſariae ad Secretionem:

Intercepta urinae Secretio licet morbus ſit adeo rarus, ut Valſalva et Morgagni ne unum quidem diſſecuerint corpus hocce morbo exſtinctum, nihilominus ab aliis fide dignis Clinicis eſt obſervata. In Cauſas, quae tollere Secretionis negotium valent, inquirendi nunc mihi animus eſt, quo vero ordine id fiat apto, brevibus antea videamus, quibusnam opus ſit, ut ſecundum naturam Secretio perficiatur.

Quo rite ſecernatur lotium, neceſſe eſt:

1. ut ſanguis in renum ſubſtantia corticali adſit iuſta quantitate, qualitate ac motu.
2. ne vaſa ſecernentia ſint compreſſa, contracta, obſtipata, obſtructa, coalita, collapſa aut deſtructa.

Tranſeamus nunc ad ipſam cauſarum inveſtigationem! Hiſtoricam modo earum cognitionem lectoribus accurare volo, unico huic ſcopo ut reſpondeat diſſertatio mea, pro virili allaborabo.

In prioribus iamiam attuli, omnes hucusque obſervatas Iſchuriae cauſas reſtringi commode poſſe ad quatuor Claſſes generaliores vid. III, in fine.

VI.

Cauſae quae impediunt, quo minus ſecernatur lotium.

I. Pilum ducat: *Humoris ſecernendi defectus.*

Ubi deeſt ſanguini latex aquoſus, ibi quod ſeparetur, deficit. Sanguinis vero qualitatem adeo interdum alienari, ut parcior illi admixta ſeri quantitas tenacius cum craſſioribus ejus particulis cohaereat, nec niſi aegerrime ſecedat, id quidem a priori, ut dicunt, et a poſteriori deciſum eſt. Omnia, quae hancce ſanguini ſpiſſitudinem conciliare valent, totidem cenſendae ſunt cauſae ſuppreſſionis lotii remotiores.

Tenacior vero ut fiat ſanguis permulta efficere poſſunt, quorum aliqua ſufficiat hîc recenſere:

Diuturnior a potulentis abſtinentia vel fluidorum ingerendorum averſatio qualis interdum in Phreniticis et in Hydrophobia ſpontanea aut a morſu rabidi canis plerumque annota-

tur *e*). Aliae excretiones nimium auctae, v. g. nimius ſudor, motu intenſiori, calore externo, Καυσω elicitur; Vomitus ſaepius reiteratus; abſorpta pars aquoſa et in aliena loca delata ſtagnans, ut in Hydropis ſpeciebus variis *f*); ventriculi disrupti vulnus; alimenta nimio glutine ſcatentia; medicamenta lympham coagulantia; vita ſedentaria et inde pendens, bibliophagorum ſors triſtiſſima, coctio ciborum debilitata, ejusdemque aſſis reliqua, aquam ſubducunt, humores cogunt et ſerius citius Se- et Excretiones impediunt. Sed rariorem Secretionis uri-

---

e) *conf.* Ern. Henr. Doering *diſſ. Hippocratis doctrina de deliriis optimum ſemioti ces exemplar*, *Marb.* 1790, *p.* 33, IX.

f) Knorre *de Prognoſi in hydrope*, *Gött.* 1781, *p.* 35.

nae ſufflaminatae cauſam deferamus et multo frequentiorem

II. *Viae anguſtationem* paululum dilucidemus, quatenus inde ſupprimatur lotii percolatio. Viae per quas ſanguis renibus advehitur ſunt arteriae emulgentes. Arcetur itaque ſanguis, quando cauſa quaepiam horum vaſorum lumina annihilat; ſive cavitas ſpiſſiori obſtruatur materia, ſive parietum vitio claudatur, ſeu conſtrictione ſpasmodica, compreſſione externa, concretione aut collapſu id contingat, ſemper idem manebit cauſae effectus: cohibetur affluxus, ergo et Secretio, fluidi ſecernendi affluxum ponens.

A. Sanguis, indigena horum canalium materia, denſitate, tenacitate, ex cauſis paulo ante recenſitis inducta, peccans majori, quam

quae ab unita cordis atque arteriarum vi propellente ſuperari poſſit, impactus ramulis arteriae minus capacioribus, obſerare poterit viam ſanguini fluidiori a tergo prementi, Secretionem turbabit, tollet *g*).

B. Parietum vario vitio humoris urinoſi in fiſtulis Bellini ſeparatio laedetur: Si in membranarum interſtitiis aut vaſculis humorum adſit congeſtio, qualicumque illecta cauſa.

Infringitur ab hac arteriae vis elaſtica, ad propellendum ſanguinem neceſſaria; craſſitiem adipiscuntur membranae noxiam, cartilagineam, imo oſſeam duritiem, pro partium impactorum

---

g) Gaubii *inſtit. pathol. Lipſ. 81, §. 209, 1 ſeqq.*

humorum indole diverſam; naſcuntur in texto parietum tumores, excreſcentiae varii generis, et intus prominentes, cavitatem obſtipant. Sed vereor, ne nimis longus fiam, ſi omnes ſingulasque poſſibiles Suppreſſionis lotii cauſas, quas nulla hucusque, mihi certe cognita, fida Obſervatorum experientia confirmavit, recenſere, earumque effectus ſigillatim exponere vellem. Indicaſſe ſufficiat! Plura cupiens adeat: MONRO h).

---

h) Alex. Monro *des Aelteren ſaemtliche Werke pract. und chir. Inhalts, aus dem Engl. überſezt, Leipzig 1782, ubi de tunicis arteriarum, earumque morbis, nec non de ortu Aneurismatum plurima lectu digniſſima inveniet. Nec diſplicebit legiſſe:* Brebizii (*praeſ.* Faſelio) *defenſam diſſ. ſiſtens morbos arteriarum cum ſuis cauſis, effectibus atque ſignis tam diagnoſticis quam prognoſticis, Ienae 1757.*

C. Spasmodica conſtrictio arteriarum emulgentium *i*).

D. Hydatides in partibus arteriis renalibus vicinis, coſtae ſpuriae diffractae, tumores vicini *k*), cauſae praepediti ſanguinis ad renes affluxus lotiique Secretionis ſuſpenſae fieri poſſunt, nam vel comprimendo vel alio modo diſtantiam parietum tollere lumenque harum arteriarum claudere valent.

E. Coaleſcere haec vaſa poſſe, quando tumor cavum diutius obſtipavit aut compreſſio diuturnior praegreſſa eſt, nemo negabit, qui ex Analogia rationes adducere didicit.

---

i) Brebizius *l. c. in Scholio ad*, *§. 53.*

k) Warton *Adenographia*, *Cap. XI.*

Vitia ſimilia, quae reditum ſanguinis per venas impediunt, totidem ſunt cauſae Suppreſſionis lotii ſecernendi.

Multo frequentius vero cauſa ſuppreſſae urinae quaerenda erit in renibus, et cadaverum inſpectiones id ſatis ſuperque evicerunt. Obſtruuntur enim quandoque canales illi minimi, urinae Secretioni inſervientes, fiſtularum Bellini nomine noti. Plethoram tam univerſalem quam particularem hosce canales invios reddere poſſe rationibus atque obſervationibus probatur. Eſt enim modus in rebus ſunt certi denique fines, quos ultra citraque neſcit conſiſtere rectum *l*).

---

l) *Conf.* G. A. Heiſterberg *diſſ. de humoribus morborum cauſis, Lipſ.* 1783, §. *III et* Ludwig *de Plethorae differentiis, Lipſ.* 1766, §. *XV.* Gaubius, §. 411.

Requiritur vere et in Secretionis negotio omni certus ac definitus modus affluentis humoris illius, qui alium ſecernendum praebet. Inquiramus in generaliores abundantis ſanguinis effectus; quo clarius inde pateſcant ſpecialiores! Copia ſanguinis major, quam actiones ferre poſſint, parietes canalium diſtendat neceſſe eſt. A nimia diuque perſeverante horum diſtenſione, quin pereat vis reagendi in fluida, nemo unquam dubitabit. Verum enim vero quum ab actione vaſorum continentium in contenta maxima ex parte dependeat horum craſis et motus, efficitur: ut imminuto illorum robore, torpeat vis vitae, ſarcina gravi oppreſſa; retardetur motus, vi movente debilitata; depravetur craſis, motu progreſſivo imminuto; languéant functiones, actione ſolidorum, fluidorum mutua inhibita, imo ſuſpendantur, planeve deleantur.

Faciamus nunc ſanguinem mole majori renes petere, et qualis inde exſpectandus ſit effectus videamus.

Sanguis copia modum excedente in vaſis renalibus collectus, in horum latera premit eaque diſtendit vi majori, quam quae ſuperari poſſit a vi vaſorum reagente. Turgent renes ab accumulato ſanguine, comprimuntur vaſorum ſecernentium lumina, comprimuntur venae, reditum ſanguinis promoventes, minus abſorbent quam affluit, ſtagnat quodammodo ſanguis, ſecedunt partes ſanguinem conſtituentes, reſorbetur fluidior, remanet craſſior, quae ſenſim fortaſſe vi ſanguinis a tergo prementis ſubſtantiae ſic dictae corticali renum impingitur; inde obſtructio harum arteriarum minimarum, nec non fiſtularum Bellini, inde Secretio urinae a nimio ſanguine ſufflaminata, deleta.

Sed quis ſexcentos illos potentiae morbificae agendi modos enumerare poſſet. Neutiquam ego Suppreſſionem lotii a Plethora univerſali corporis aut particulari renum eodem ſemper modo induci credo; placuit tantum effectus quosdam recenſere poſſibiles, nil ceterum curans, an alter alterum ſemper eadem ſerie excipiat. Conſtat enim inter Medicos, unam eandemque cauſam in diverſis corporibus quam diverſiſſimos proferre effectus. Aetas nimirum, ſexus, temperamentum, major minorve irritabilitas, rigidior laxiorve corporis compages, verbo, varia corporis diſpoſitio, mirifice huc confert, quo alias ſive alias potentia nocens in corpore agere poſſit partes. Quomodo vero corpus conſtitutum eſſe debeat, quo cauſa hunc ſemper, non alium habeat effectum, hoc, ut ego quidem ſcio, nemo Medicorum huc usque detexit, nec unquam deteget.

Plethoram univerſalem cauſam Suppreſſionis urinae eſſe poſſe CL. TROJA *m*) adducit. Qui vero cum poſſibilitate non contenti, et a poſſe ad eſſe nullam valere conſequentiam credant, conſulant obſervatores infra notatos *n*).

Sanguinis boni abundantia foecunda inflammationum mater recte ſalutatur, nam in Subjectis plethoricis non raro occurrit Secretio lotii ſuppreſſa ab inflammatione renum *o*).

---

m) *l. c. p. 183.*

n) Foreſtus *lib. 24, obſ. 32.* Riverius *Cent. 2, obſ. 3.* Ephem. N. C. *Dec. I, A IV et V, p. 201.* Rühle *l. c. §. VIII et IX.* Collot *traité de l'Operation de la taille, pag. 223.*

o) Hildanus *de lithotomia veſicae, ubi filii mortem refert ab inflammatione*

Multae dantur cauſae occaſionales, quae in iis Nephritidem accendere poſſunt maximam, nimirum motus nimius, equitatio, ſaltatio praecipue aeſtate fervida, nimia Venus, ſpirituoſorum, aromaticorum abuſus, medicamenta calidiora urinam moventia, aphrodiſiaca, omnibus hisce et pluribus uberiori ſanguinis ad renes affluxui praebetur occaſio.

Sanguis ex vulneratis renum vaſis minoribus egreſſus et coagulatus ſtagnans, obſtructione et compreſſione ductuum uriniferorum impedimento eſt percolationi urinae *p*).

---

et ſphacelo renum. Troja *l. c.* *p. 15, 20 ſqq.*

p) Troja *l. c. Cap. I, pag.* 1.

Obſtruuntur vaſa urinam ſecernentia a pure hic collecto ex abſceſſibus *q)* ulceribusque renum vel ex aliis locis reſorpto huc delato, nec non a viscida quadam ac tenaci, imo calculoſa materia.

Quandoque obſervatum eſt poſt febres acutas inflammatorias materiam morbificam ad renes deferri *r)*.

Nunc cauſas quasdam enumerare ſtudebo, quae irritando, vellicando conſtrictionem tubulorum Bellini efficere poſſunt tantam, ut inde Secretio ſufflaminetur lotii. Haſce cauſas invenies

---

q) Troja, *pag.* 16, 25, *pag.* 3.

r) Home *l. c. p.* 310. Troja, *p.* 14, 5.

vel in renibus ipſis,

vel in partibus ab his remotis.

Infeſtat prae aliis urinae vias Arthritidis s) atque Rheumatismi t) materia, miraque facie

---

s) *vid.* I. Andr. Murray *de materia arthritica ad verenda aberrante disquiſitio, Gött. 1785, pag. 16.* Peterſen *diſſ. ſiſtens caſum Iſch. ex materia podagrica ad veſicam delata, Arg. 1772, diſtinguit quidem Auctor cum* van Swieten *et* Vogel *podagricam et Arthritidis materiam (an jure, aliis relinquo dijudicandum) et caſum refert Iſchuriae veſicalis; ſed diverſa ſit, nec ne, certe in renibus depoſita Secretionem cohibere valeret. Quod erat demonſtrandum!* Ioſephus Hamburg *de Arthritide Moguntiae 1788, p. 38.* Troja, *p. 14, 6.*

t) Menz *de Pathologia Rheumatismi in morbis Puerperarum, Lipſ. 1788, pag. 22.*

nunc morbos mentitur venereos, nunc calculi renalis imitatur cruciatus. In arthriticis centena proſtant hujus veritatis exempla, nec deſunt, qui huic ad renes translationi ſanitatem debuêre, poſtquam mucoſam, lacteam, cretaceam *u*) urinam eminxerant.

Pari gradu fere ambulant materies ſcorbutica, ſcabiei, variolarum, morbillorumque, quae in renibus depoſitae *v*),

---

u) Teichmeyer *de Arthritide.* Hundertmark *de Urina cretacea etc. Lipſ. 1761.* Watſon *in mediciniſchen Beyträgen, 1. Theil, Gött. 1785, pag. 51—58, in Sectione cadaveris viri arthritide defuncti praeter hydatides, ne minimum materiei calculoſae aut ſabuloſae in renibus aut veſica invenit; quod ſane mirum!*

v) Morgagni *ep. 41, 4.*

irritando vaſa ad contractionem cient et ſecernendo humori viam occludunt.

Nec vacant culpa in uſum vocata medicamenta, praecipua in renes agendi vi praedita, quo pertinent: Meloë proſcarabaeus, cantharides, alcalina, purgantia draſtica.

Non ſecundum ſibi vindicant locum in producendo lotii ſuppreſſionem renum calculi. Quorum figura, plerumque quadrangulares x) longiuſculas referens cryſtallos, demonſtrat, illos ad irritandum nimis eſſe aptos. Minime vero ſemper talem obtinent figuram ſed cres-

---

x) *vid.* Bluhm *im Verſuch einer Beſchreibung der hauptſächlichſten in Reval herrſchenden Krankheiten, Marb. 1790, pag. 144, §. 7.* Troja *l. c. pag. 57, 58.*

cendo quotidie fere aliam induunt formam.

Quid vero de vermibus dicam, quos in renibus progenitos aſſeverant Auctores, eosque Secretionis urinae inhibitae cauſam accuſant *y*). Exempla vermium in renibus canum aliorumve animalium repertorum mihi quidem nihil omnino probare videntur. Legiſſe quidem memini vermes cum urina excretos adhuc vixiſſe *z*). Sed veroſimillime ſanguinis coagulati aut tenacis

y) Troja, *p. 180*, 227, *e.* Paullini *Cynographia curioſa Sect. IV*, *cap. V*; *de vermibus ubique in microcosmo.* Reichard (*praeſ.* Kniphof) *de pediculis inguinalibus inſectis et vermibus homini moleſtis*, *Erford 1759.*

z) Felix Plater *obſ. lib. 3*, *cap. 13 et* Salmuth *Cent. I*, *obſ. 49.*

cis puris fruſtula, formam vaſis in quo per tempus aliquod impacta haeſerunt referentia, in plurimis certe caſibus pro vermibus habuerunt Auctores, forma horum fruſtulorum decepti.

Vehementer quoque erraret, qui ſemper cauſam Suppreſſionis urinae in ipſo Syſtemate uropoietico quaerendam opinaretur. Inflammationes, ſpasmos, dolores in partibus plus minusve remotis conſenſus lege totalem induxiſſe lotii Suppreſſionem omnium fere temporum experientia loquitur *a*).

Inteſtina viscerave abdominis renibus vicina, a flatibus, foecibus induratis *b*), nimio cibo diſtenta, in hominibus debiliori-

---

a) Gaubius, *pag. 362, §. 675.*

b) Troja, *p. 17 et p. 180.*

bus, vitae ſedentariae deditis, hypochondriacis, hyſtericis haud raro obvia, ſupprimunt urinam comprimendo renes.

III. *Atonia* ſive Paralyſis Organorum ſecretionis lotii impedit, quo minus recte fungantur munere ſibi demandato *c*). A torpente, deficiente ex parte, aut penitus ſublata illarum partium vi nervea, humorum vitalium influxus in haec ſecretionis organa imminuitur, ſufflaminatur; marceſcunt, flacceſcunt renes, collabuntur vaſa, fibris vaſorum enervatis et Suppreſſio adeſt urinae aegre remediis ſanabilis *d*). Sunt qui a ſola cerebri

c) Haller *elem. Phyſiol. VII*, *XXVI*.

d) Bonneti *Sepulchr. lib. 4*, *Sect. 3*, *obſ. 29*, *§. 7*.

commotione, aut ſanguine extravaſato, cerebrum premente, paralyſin nervorum renalium ortam eſſe perhibent *e*).

IV. Innumera nunc adducere poſſem exempla *de renibus* in tota ſua ſubſtantia *deſtructis*. Sed cum nemo lectorum meorum hancce veritatem in dubium certe vocabit, hisce ſuperſedeo. Nec eget demonſtratione ab deſtructis prorſus Secretionis organis tolli Secretionem ipſam. Unum, eumque maxime memorabilem caſum vide: *f*)

e) Troja *l. c. pag.* 182.

f) *in medicin iſchen Beyträgen, 1. Theil, pag.* 379, *ſeqq.*

Subſiſtere hic cogor. Placet, vel diſplicet, legi meretur vel non, ſi poſterius: nimis longa eſt, quam emitto, ſcripriuncula; ſin prius: gaudeo. Sed ut indulgeant Lectores, perpendant verba duo: Tempus! — Promiſſum!

THESES.

1.

Non omne vegetabile, ſapore aut odore proprio deſtitutum, inane habendum eſt.

2.

Dyſenteria ſummus Diarrhoeae gradus eſſe videtur.

3.

Nocet interdum ſemen retentum.

4.

Meconii effluxus in partu eſt dubium foetus mortui ſignum.

5.

Variolarum inſitio eſt commendanda.

6.

Poſt partum naturalem, niſi uteri adeſt Haemorrhagia, placentam naturae expellendam committas.

CANDIDATO DIGNISSIMO

S. D.

E. G. Baldinger.

Et Tu etiam, Vir eruditiſſime, doctum Specimen ſcripſiſti IPSE, *quod mihi, ut perlegerem exhibuiſti. Nil habeo quod moneam! Scis, quanti Te amem et faciam. Non dubites, rogo, de meo Tibi inſerviendi ſtudio, licet abſenti. Amici mei in diſſitis etiam locis viventes, perſuaſi ſunt, nullam locorum diſtantiam amicitiae unquam noſtrae nocuiſſe. Eodem enim amore, multos per annos, nos amamus, et mutuo amore fruimur felicitate noſtra.*

Quaevis occaſio Tibi inſerviendi, pergrata erit mihi atque exoptata. Fruere Tua felicitate, ſalvus et incolumis, meque, rogo, ama. Vale! — Scrib. Marb. d. 10. Sept. 1790.

7.

MORBORUM COGNATIO

FILUM ARIADNEUM

MEDICI PRACTICI.

COMMENTATIO

Auctore

Henr. Erneſt. Spielmann

Medic. Doct.

Marburgi Cattorum

typis novae typograph. academ.

1791.

SERENISSIMO

AC

POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

WOLFFGANG ERNESTO,

YSENBURGI PRINCIPI REGNANTI

haſce ſtudiorum primitias

ut exſtet

IN PRINCIPEM CLEMENTISSIMUM

Devotiſſimae mentis ſuae

qualecunque monumentum

d. d. d.

ſubiectiſſimus

Auctor.

THESES.

1.

Cor ſuperat omnia reliqua viscera irritabilitate.

2.

Arſenicum et omne arſenicale medicamentum non eſt innoxium tutum et ſecurum, ſed noxium et inſecurum remedium et a medico provido non exhibendum.

3.

Digeſtionem in homine ſucco gaſtrico potiſſimum tribuendam eſſe cenſeo.

4.

Emetica ſemper danda ſunt, ſi ſordes ſurſum turgescunt, id quod nauſea et vomitus teſtatur.

5.

Obſtructio non ſemper hydropis eſt cauſa.

6.

Diſtributio apoplexiae in ſanguineam et ſeroſam in praxi inutilis eſt poscunt enim unam eandemque medelam.

7.

In graviditate haud negligenda medicamenta laxantia.

8.

Hepatitis ob parvum dolorem, quem aeger ſentit, ſaepius incognita manet.

9.

Certum tempus definiri nequit, intra quod vulnus lethale ſit.

10.

Signa de natura cataractae et eius complicatione valde dubia ſunt.

PRAEFATIO

CONTINET PRAECOGNOSCENDA DE COGNATIONE ET DISCRIMINE MORBORUM GENERATIM.

Cognati ſunt equidem omnes morbi, alii vero magis, alii minus. Eam itaque ob rem liceat mihi, ſollertiori ſtudio univerſam doctrinam de cognatione morborum pertractare. Praebet enim haec cognatio medico practico filum Ariadneum in la-

byrintho morborum abſtruſorum. Sermo non eſt in hoc ſpecimine meo, de morborum cognatione proximiori, quam omnes agnoſcunt, et de qua dubitat nemo. Sed hoc volo, ut pateat, morbos, qui vix ullam cognationem habere videntur, aeque tamen cognatos eſſe. Morbos vero cognatos eſſe dicimus, 1) qui Typo ſibi perfecte ſimiles, aut maximam tamen partem; 2) qui ab una eademque cauſſa nascuntur, etſi Schema,

Typus, et Symptomatum Syrma toto coelo ab invicem diverſa videantur, 3) qui pharmacis iisdem obediunt, eademque medendi ratione profligantur 4) quorum tranſitus unius in alium morbum frequentiſſime occurrit. *Metaſchematismus* vulgo artis vocabuli nominari ſolet, et eſt effectus frequens metaſtaſeos cuiusdam praegreſſae. Tum quidem morbus aliam induit faciem, ſed re ipſa manſit idem. Occupat modo

nunc aliam partem, ſedes morbi mutata, nullaque alia contigit mutatio, quam ab una eademque cauſſa nunc functio laeſa alius partis adeſt. Medendi ratio vero eadem eſto.

Methodicis olim hoc non erat ignotum, incredibilem fere morborum numerum, paucis generibus comprehendi poſſe. Recentiori autem aetate Noſologorum cohors, citra omnem neceſſitatem morbo-

rum genera auxit, et mirum in modum praxeos medicae ſtudio adeo nocuit, ut dubius anceps haeream, utrum ars noſtra hodie ſit magis exculta, an vero deterior facta. HIPPOCRATI, totius artis medicae conditori facile principi, immortale iſtud debemus meritum, quod CNIDIORUM nimiam ſubtilitatem in multiplicandis morborum generibus feliciſſimo conatu, intra iuſtos cancellos redegerit. Ante eius enim

tempora medici crediderunt, novo ſuperveniente ſymptomate novum etiam adeſſe morbum. Ea vero, quae a veritate longe aliena eſt opinio, effecit, ut ſaeculi huius empirici, ſingulis ſymptomatibus aliud pharmacum neceſſarium eſſe putarent, atque in veram pharmacomaniam inciderent. Non ita BOERHAVIUS, poſt fata etiam immortalis medicinae Graecorum et HIPPOCRATIS inprimis, reſtitutor, vir ſummo

ingenii acumine praeclare conſpicuus, et omnium ſaeculorum princeps ornamentum, priſtinae ſimplicitati totum negotium medici practici reſtituit, docuitque, hoc princeps eſſe medici officium, ut discat ſimpliciſſimam veriſſimamque ſimul, indicationem invenire, et ſimpliciſſima medendi ratione profligare morbos. Iisdem fulcris uſi ſunt poſt BOERHAVIUM, HEBENSTREITIUS Lipſienſis, BRENDELIUS, SCHROEDER, Gottingen-

ſes Profeſſores medici celeberrimi, in artis exercitio.

Sed nunc ad rem ipſam me accingo.

§. 1.

Acutorum et chronicorum morborum cognatio.

Omnes morbi inter ſe cognati ſunt, ut in praefatione iam dixi, hoc tamen diſcrimine quod alii magis, alii minus ſint cognati. Vulgo, morbi omnes vel ſunt acuti, vel chronici. Et tamen utrumque genus ſummam agnoſcit cognationem. Morbi enim acuti in omnis generis morbos chronicos degenerare ſolent. Sed contraria etiam ratione, nullum datur genus morbi chronici, quod nonnumquam non mutetur in acutum morbum. Hydropi, Tympanitidi, ictero, tandem vetuſtate temporis ac-

cedente, febris ſupervenit, indolis inflammatoriae, cum humores ſtaſi diuturna acrimoniam contraxerunt, aut morbus acutus, criſi imperfecta ſolutus ſit, et nata inde viscerum obſtructio, induratio, et quae ſunt mala reliqua, quae ab imperfecta criſi nasci ſolent denuo iterum morbus acutus evadit. Bene itaque SYDENHAMUS, alter STOLLIUS, in opere egregio, de febribus non magni fecit Typum febrium, ſive ſint continentes, ſive remittentes, ſive intermittentes. Sed ea de re, loquar ſtatim prolixiori ſermone.

§. 2.

De febrium inter ſe cognatione.

Nullum noſco febrium genus, quod non in aliud degenerare ſoleat nonnunquam.

GALE-

GALENUS auctor eſt, febrim omnem eſſe vel Synochum ſimplicem vel putridam. Idem vero monuit inter utramque febrim nullum intercedere discrimen, praeter iſtud, quod ſynochus ſimplex perquam facile mutetur in putridam. Summus gradus inflammationis eſt initium putredinis, GALENUS ait, et reſtaurator totius medicinae Graecorum BOERHAVIUS eadem repetiit, in Aph. ſuis de cognoſcendis curandisque morbis. Quis vero ignorat cognationem febris inflammatoriae et bilioſae, quae quidem adeo frequenter mixtum morbi genus conſtituunt, ut ſaepe dubius ancepsque haereas, quodnam morbi genus e primariis adſit. Etenim modo vincit diatheſis phlogiſtica, modo vero bilis. Unde admodum fallax eſt febrium denominatio. Secundum primam artis noſtrae regulam, a potiori fit denominatio. Febris autem inflammatoria ſaepe eſt

biliofae indolis, et biliofa indolis inflammatoriae. Utrumque vero genus, ſive ſimplex, ſive mixtum, quotidiana experientia teſte, haud raro evadit putrida. Quartum ſupereſt febrium genus, malignarum (vulgo Atactas appellat Cl. SELLE. Sed beatus *de* HAEN iſtud ex univerſa arte noſtra proſcribere voluit, aeſtimavitque, veram malignitatem eſſe ſymptoma tantum non vero genus proprium morbi. Multa vero ſunt quae contra febrium Viennenſem Profeſſorem, olim celeberrimum, moneri queant. Sed hic nec locus, nec tempus vacat. Sufficit monuiſſe HIPPOCRATEM, Conditorem ac patrem totius artis noſtrae, prolixiori ſermone in Coacis, et in Epidemiis L. I. et III, qui ſolummodo genuinis accenſeri debent, tradidiſſe optime ſigna omnia malignitatis, et totam controverſiam utrum malignitas ſit genus morbi proprium, an vero ſymptoma tantum, certe in

artis exercitio nullius eſſe momenti. Cauſſas enim reſpicere debet medicus in omni malignitate, quae ſymptoma eſt. Veram malignitatis cauſſam, ego quidem cenſeo ſummam virium vitae proſtrationem, quae non a putredine nata, ſed ab alia cauſſa, quae in ipſius vis vitae deſtructione latere videtur. Natura et indolis febris potius attentionem merentur, quam Typus. Is enim admodum facile mutatur. Quis ignorat facta metaſtaſi, quod in febribus frequentiſſime ſolet evenire, novum morbi genus apparere, quod vero a priori nulla alia ratione differt, quam ſedis mutatione. Materies morbi, ſic nuncupant medici, alium occupavit locum, ſed morbus manſit idem, ſi indolem ſpectes. Perperam *Arabes* nimium tribuerunt morborum a ſede differentiis. Non ſic medicinae parens HIPPOCRATES, qui maſcule pugnavit contra GNIDIOS,

horumque nimiam ſubtilitatem in diſtinguendis morbis, ludibrio expoſuit. Arabum vana opinio, morbos qui ſede differunt, diſtinguendos eſſe, manſit diu nimis, poſt renatas litteras Sec. XV. et XVI. Nuper vero Noſologi recentiores, et inprimis BOISSIER, de Sauvages dictus, a loco natali, tot varia morborum genera effinxit, quae in univerſa rerum natura non exiſtunt, ut magnum caperet detrimentum artis medicae ſtudium, excogitatis tot ridiculis morborum generibus.

§. 3.

Febrium et Haemorrhagiarum Cognatio atque discrimen.

Verum quidem, haemorrhagiam acutam et effrenatam, quae ab incendio ſanguinis ori-

tur, non eſſe diverſam a febre, quae vulgo inflammatoria audit. Eadem febrium diviſio, ſubinde haemorrhagiarum eſt. Febres oriuntur, nunc a plenitudine vaſorum, ſanguinis abundantia, incendio, modo vero a bile, a dolore in aliqua parte orto, ab animi perculſione et pathemaribus vehementioribus, nimia copia potulentorum ingurgitatorum, aromatum et veneris abuſu, caet. Frequenter ſatis eius generis febres finiri ſolent larga haemorrhagia. Dantur haemorrhagiae narium, pulmonum, uteri, effrenatae, vix coërcendae remediis et, adſtringentibus minime omnium. Quies, aer moderate frigidiusculus, acida, ſunt praecipua pharmaca, quibus eius generis haemorrhagiae ſolent compesci. Sed minime aſſentiri poſſum b. CULLEN, qui omnes haemorrhagias ad Pyrexias retulit. Res enim notiſſima

eſt, dari haemorrhagias ab atra bile, ab infarctu viſcerum imi ventris nobiliorum. Simpliciſſima febris notio haec eſt, eam haud raro naſci a ſtimulo externo applicato, qui conſenſus lege, ſ. ſympathice omne corpus oberrat. Idem dicendum eſt de haemorrhagiis. A ſolo enim ſtimulo, partibus irritabilibus applicato, ſtatim oritur congeſtio et affluxus ſanguinis verſus locum irritatum, cuius effectus eſt ſanguis erumpens, ſeu haemorrhagia. Diſpar itaque nonnumquam eſt ratio febrium ac haemorrhagiarum, unde et medendi ratio non eademque utrisque.

§. 4.

Febrium, Apoplexiae, Vertiginis affectuum ſoporoſorum Cognatio.

Nemo fere ſine febre moritur, LOMMIUS ait. Sed et iſtud effatum limitan-

dum eſt. Verum autem, morbos, de quibus iam ſermo eſt, arctiori nexu inter ſe cognatos eſſe. Dantur enim febres, e malignarum genere, quae proprie ſoporoſae, apoplecticae nuncupantur. Quis ignorat, quae ſuper his MORTON, TORTI, WERLHOF, CASIMIR MEDICUS, aliique ſcripſere. Epidemice nonnumquam per populos magnam cladem efficere ſolent. Quum vero nihil novi fieri ſoleat in hoc mundo, WERLHOFIUS ipſe iamiam annotavit, febres apoplecticas et ſoporoſas, in Arabum monimentis iamiam annotatas eſſe, et ACKERMANNUS, Altorfienſis Profeſſor, evicit. Graecos iamiam de his febribus ſatis bene ſcripſiſſe. Sed mitto iam iſtud ſingulare febrium genus. Etenim aeque notum eſt, ſingulis et omnibus febribus haud raro ſupervenire vertiginem, ſoporem pro-

fundum, quem graeci CATOCHUM appellant, immo apoplexiam ipſam. Nil refert ad rem, utrum iſtud ſymptoma perniciosum ortum habeat ex ingenti congeſtione ſanguinis ſerive verſus encephalum, an vero potius a nimia impurorum ſuccorum, bilisve in hypochondriis accumulatione, unde ſpasmi nascuntur, et congeſtio verſus caput. Sunt aliae denique cauſſae, quae in febribus haud raro ſubitaneam apoplexiam, mortemque ipſam efficere ſolent. E primariis vero hic nominari debet omnis metaſtaſis exanthematum omnium, quarum effectus mox ſopor, et apoplexia, quae a ſopore non multum differt, nec non paralyſis, ſive delirium, aut convulſio. Et hoc quidem mirum non eſt. In ſtatu ſano enim hominis omnes functiones totius oeconomiae animalis inter ſe conſentiunt, ut ſi omnes rite fiant, ſanitas

adſit integra, perfecta, valida et athletica. Laeſa vero una, laedi ſolent omnes; unde morborum ſympathicorum origo. Medicaſtri, et qui non rite didicerunt univerſam pathologiam, ſubliniorem imprimis, ſibi perſuadent, ſed falſo, morbum adeſſe compoſitum, mixtum, complicatum, qui tamen ſimplex eſt, cum omnia ſymptomata nil aliud ſint, quam *Syrma* (*die Schleppe am Kleide*) ut bene ſatis cum Curtio ſuo, cuius ſcribendi genus ſibi elegerat, BRENDELIUS ait, vir totus HIPPOCRATICUS. Quis neſcit vertiginem, apoplexiam, coma, lethargum, catochum, et quae ſunt reliqua ſymptomata, quae febribus ſupervenire ſolent, immo interceptis haemorrhagiis, aliisque excretionibus ſufflaminatis, nihil aliud eſſe, quam ſobolem metaſtaſeos, ſeu decubitus, congeſtionis, novae irritationis in locis remotis ortae, aut inundationis in

aliquo loco remoto. Qui veriora dogmata pathologiae ſublimioris didicit, intellexit, ei non ignotum eſt, origines morborum omnium non adeo eſſe abſtruſos, ut multi quidem credunt, ſed mutationes morborum, et quod medici appellant vulgo *Metaſchematismum*, ab una eademque cauſſa communi, oriri. Felix ille, qui cauſſas rerum cognoscere poteſt. Non omnibus vero adire licet *Corinthum*. In ſcyllam incidit, qui vult vitare Charybdim! Unde hallucinati ſunt fere Noſologorum recentiores omnes. Quum cogitarent enim veriora morborum genera accurate ſatis enumerare, finxerunt potius morbos, qui in rerum natura certe non exiſtunt. Herculeus eſſet labor, tot errores Noſologorum noſtrae aetatis percenſere. Ex ipſis fontibus, HIPPOCRATE, BAGLIVO, aliisque melius hauriri poſſunt natales et origines morborum, quam ex ingenti Noſologorum turba!

§. 5.

Febrium et morborum mentis cognatio.

Nullum febrium genus in univerſa patho-logia occurrit, in qua non interdum mentis functiones turbari, viſum et animadverſum ſit. Paraphroſyne, paraphrenitis, phrenitis denique ipſa, omnes febres interdum comitari ſolent. Differunt itaque haec deliria gradu ſolummodo. Ipſe VOGELIUS ex veterum monimentis evicit, phrenitidis vocabulo veteres nihil aliud intellexiſſe, quam qualecumque delirium audax et furioſum, febribus tanquam ſymptoma ſuperveniens. STOLLIUS in rat. med. edixit, phrenitidem ſemper a bilis colluvie oriri. Quod vero BRENDELIUS et PRINGLE, et SELLE recte docuerunt, vera graecorum phrenitis, malignis febribus accenſeri debet. Deliria chronica, melancholia nempe

et mania, abſque febre ſunt. Sed hoc obliuisci non debet, melancholiam haud raro febre ſolvi, unde ars inferendi febrim, praecipuis in arte medendi artificiis accenſeri debet. De mania non ſemper aperta, iam olim CAMERARIUS lectu dignam diſſertationem medicam Tubingae publici fecit iuris. Nec diſſentit b. VOGELIUS in Aph. ſuis de morbis cognoscendis, curandisque. Idemque vir, poſt fata etiam colendus, in eodem libro, praeeunte BOERHAVIO, non magni fecit discrimen melancholiam inter et maniam. Teſte enim quotidiana experientia, melancholia mox tranſit in maniam, mox vero mania in melancholiam. Absque ſtimulo, ſive excedente, ſive deficiente, morbus gignitur nullus. Morbi ergo varietas, pendet potiſſimum a ſtimuli varietate, et ab irritabilitate corporis aegroti, maiori, minorive. Eius gradus ſo-

lummodo infinita ratione differunt, et ab eo, morborum omnium diſcrimen natales repetit.

§. 6.

Haemorrhagiarum omnium inter ſe, nec non cum aliis morbis Cognatio.

Haemorrhagias omnes atque ſingulas a communibus quibusdam cauſſis oriri, fugit neminem. Sunt vero praecipuae, plethora, congeſtio, acrimonia vaſa exedens, nimia vaſorum teneritudo, ut facile a ſanguinis expanſione disrumpi queant cuncta, partis alicujus debilitas, ſanguinis putredo, ſtimulus partibus quibusdam admotus, vaſorum obſtructio, diuturnior inprimis, unde haud raro haemorrhagiae chronicae, effrenatae, per periodos recurrentes, et

quae ſunt reliquae, de quibus in parthologia generali ſermo eſt. Nullum itaque omnium haemorrhagiarum discrimen agnoscendum eſt, quam quod a loco haemorrhagiae, ſeu ſanguinis effuſionis, vulgo quidem in pathologia deſumi ſolet. In artis autem exercitio, non tam locus, ubi haemorrhagia contingit, conſiderationem meretur, ſed cauſſa. Etenim a ſola plethora eaque commota, nunc oritur haemorrhagia narium, ſive critica, ſive ſymptomatica, nunc vero et effrenata haemoptyſis, dira, quae tandem, propter nimiam ſanguinis iacturam, mox tranſit in hydtopem, febrim lentam, tabem, hecticam, mortemque ipſam. Omnes ergo haemorrhagiae ab invicem vix alia ratione differunt, quam loco. Et haec loci varietas, repeto, vix medico in artis exercitio filum praebet ariadneum, ſed cauſſae diſponentis et occaſionalis, attenta con-

ſideratio. Nullam novimus haemorrhagiam, quae non ſit alterius interdum ſoboles. Exemplo, ut res fiat clarior, haemorrhagia narium, quae omnium frequentiſſime occurrit, mox oritur a menſibus puellarum retentis, mox ab haemorrhoidalibus interceptis. Nullus locus totius corporis muliebris eſt, ex quo non aliquando propter lunare debitum negatum, ſanguis effluxerit. Monuiſſe ſat eſt ſingulis menſibus, mox ſanguinem ſibi exitum quaeſiviſſe ſive per nares, gingivas, partem capillatam capitis, aures, naevum maternum, papillam mammae, ulcus quoddam in parte quacunque, per pulmones, ventriculum, renes, veſicam, vaſa haemorrhoidalia, caet. Haemorrhagiarum viciſſitudines vix a me omnes recenſeri poſſunt, cum earum ſit tanta multitudo, ab aliis iamiam annotata, ego vero breviter an-

que ſummatim tantum de his dicere queam. Sola haemoptyſis exemplum praebeat. Haec autem longe frequentius ex hypochondriis oritur, quam ex tabe pulmonum; Menſinm et haemorrhoidum loco ſanguis ex pulmonibus exitum, quaerit. Mictus cruentus, vomitus cruentus, ſaepe obſtructio haemorrhoidibus ortum debent. Eſt itaque axioma in pathologia, quamcunque haemorrhagiam fere ſemper eſſe ſobolem alterius, quae nunc in loco alieno et remoto ſibi viam paravit. Nullam novimus haemorrhagiam ex ſingulis locis C. H. contingentum, quae non a menſium vel haemorrhoidum anomalia interdum orta.

§. 7.

Alvi profluvia.

Variis nominibus ſolent inſigniri, Diarrhoea, Cholera, Dyſenteria, Fluxus hepaticus,

cus, Lienteria, et Fluxus coeliacus, de quibus nunc ſermo eſt. Materies quae excernitur, princeps diſcrimen alvi profluviorum abſolvit. Seri et lymphae copia inſignis in omnibus ac ſingulis excerni ſolet, nonnumquam in diarrhoea et dyſenteria ſanguis ipſe, et conſtanter in fluxu hepatico, haemorrhagia inteſtinali hepatica, et alvi profluvio ab anomalia haemorrhoidum. Si iecur laborat ulcere, vaſaque eroſa, ut ſanguis atque lympha in coagulum quoddam abeant, magnitudine avellanae nucis, membrana craſſa involuta. Bilis modo flava, modo atra, vel alia ratione corrupta, praecipuum humorum conſtituit, qui in diarrh. dyſent. cholera una reliquis humoribus excernitur. *Mucus* depravatus, cibi crudi, non digeſti, nec non alia peregrina, v. e. vermes, nec non materies quaedam ſebacea, aut cerae nonnum-

quam ſimilis, globuli varii, fex diluta, ſimul haud raro eliminantur. Omnium vero alvi profluviorum eadem eſt ratio, eadem fere diviſio. Etenim diarrhoea et dyſenteria biliosa, non multum a cholera differunt. Quid dicam denique de tranſitu morbi unius in alium. In conſtitutione epidemica prodromus eſt diarrhoea biliosa, eaque iam torminoſa. Creſcente conſtitutione epidemica diarrhoeam hanc torminoſam excipere ſolet Cholera diriſſima, et tunc demum ſequitur dyſenteria epidemica. Haec omnia praeclare iamiam SYDENHAMUS et STOLLIUS, certe SYDENHAMUS alter, graphice docuerunt. Tormina et Teneſmi, in dyſenteria ipſa ſaepe deſunt, in diarrhoea frequentiſſime. In fluxu hepatico et lienteria, aegrotus vix ſentit dolorem, et hi morbi quidem parum ab aliis chronicis diarrhoeis per-

parum differunt. Superato morbo, in omnibus his alvi profluviis, diu ſaepe remanet diarrhae ſeroſa, quae ſerum et vires exhaurit, tabemque totius corporis inducit. Neglecta aut male tractata diarrh. dyſ. Cholera, Flux. hep. gignunt icterum, tympanitidem, hydropem, tabem, febrim lentam, mortemque ipſam. Cauſſas quod attinet, in omnibus atque ſingulis adeſt materies quaedam ſuſpenſa et hoſtilis, mox acrior, mox blandior, ſtimulus quidem in tractu inteſtinorum, unde ſeri et lymphae ex toto ſyſtemate vaſorum affluxus in tutum cibarium praeternaturalem in modum auctus, interdum cauſſa princeps eſt laxitas inſignis cum inteſtinorum, tum hepatis inprimis vaſorum Medendi ratione quod concernit, haec in omnibus atque ſingulis alvi profluviis eſt fere eadem. Eliminanda eſt quaevis materies ho-

ſtilis, quo citius, eo melius, idque vel emeticis ipſis, vel purgantibus per alvum. Involvendi atque demulcendi ſunt humores acres, qui totum cibarium replent. Hisque auxiliis tollitur, eliminatur princeps morbi cauſſa, morbus mitior redditur, nilque fere remanet, praeter debilitatem, in ultimo morbi ſtadio roborantibus tollendam. Nil dicam in praeſenti, de prudenti uſu evacuantium, horumque electione, nec de revellentibus, externe applicandis, aliisque pharmacis, quibus torminibus, ſpasmis medendum eſt. Haec enim in therapia generali ſolertiori ſtudio pertractanda ſunt.

§. 8.

Cognatio dolorum omnium.

Tanta multitudo dolorum, quae in pathologia ſeorſim pertractari ſolet, tironem

medicum haud raro deſperare facit. Putat enim, fieri non poſſe, ut capiat ambitum ſtudii pathologico practici, propter incredibilem rerum diſcendarum copiam. Verum quidem, polyhiſtoria quadam carere non poſſumus, in diſcendo excolendo ſtudio medico. Sed hoc etiam verum, vocabulorum ſtudium, medico neceſſarium, facillimo negotio diſci poſſe. Verba enim ſunt, praetereaque fere nihil, et in artis exercitio exigui admodum momenti. Sed tamen eo ſtudii genere carere poteſt nemo, ſaltim ut ſciat propriis vocabulis atque nominibus inſignire quamcunque functionem laeſam. Alia functio laeſa, alia ſiſtit ſymptomata, quae vero non re ipſa, ſed ſede tantum diſcrepant. Medicaſtris et Empiricis noſtra aetate, Noſologorum ſtudio, a vero tramite veritatis ſeductis, relinquimus ſpecifica ſua cepha-

lica, otalgica, ophthalmica, uterina, et quae ſunt reliqua. Meliori enim nos edocti, ſcimus ſedem morborum, qui a communi quadam cauſſa nasci ſolent, non eſſe filum Ariadneum medici practici, ſed cauſam ſerotinam. Antiqua iamiam diviſio haec eſt, qua ſi dolores omnes, qui proprio vocabulo a ſede ſolent inſigniri, vel a cauſſa ſanguinea, vel biliosa, vel a metaſtaſi, congeſtione, caet. rectius dividi ſolent. Loquimur de podagra dentium, de otalgia, et odontalgia, ophthalmia, ab arthritide anomala caet. Immortalia ſunt merita angli doctiſſimi MUSGRAVE, in libro ſuo de Arthritide anomala, expt. quoque cum SYDENHAM opr. recent. Genevae 1716. 4. Voll. vero omnem doctrinam enucleavit, de morbis aliam faciem quidem induentibus, quae a ſola materie arthritica, nunc corpus oberrante,

proficiſcuntur. Nullum fere genus dolorum immo ſpasmorum (de quibus ſeq. §. ſermo erit) occurrit, quod ortum non debeat materiei arthriticae, rheumaticae, catarrhalis. Adeo itaque verum eſt, rationalem ſic dictam medendi rationem longe praeferendam eſſe methodo empiricorum, qui ſingulis morbis ſpecifica opponenda eſſe autumant, et hoc quidem in inſigne detrimentum et opprobrium artis noſtrae. Topica equidem, et externa remedia, partibus laborantibus ipſis applicari et imponi debent, ad lenienda ſymptomata, dolorem coërcendum, morbus vero ipſe omnium optime tollitur, per ea pharmaca interne data, quae cauſſam ipſam exutam efficiunt.

§. 9.

Spasmorum et Dolorum arctior inter ſe nexus.

Vulgo quidem ſeorſim in pathologia omnium ſpasmorum et dolorum genera ſolent percenſeri. Exiguum vero diſcrimen eſt inter utrumque genus, ſpasmum nempe et dolorem. Licet multa ſint abſtruſa in explicandis dolorum et ſpasmorum phaenomenis, iſtud tamen extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, frequentius partem C. H. quamcumque ſpasmo atque dolore ſimul affici; immo dolorem eſſe cauſſam frequentiſſimam ſpasmorum omnium, et contraria ratione, ſpasmum cauſſam dolorum, licet hoc etiam teſte experientia notum interdum aegrotum a ſpasmo ſolummodo, interdum a dolore ſolummodo excruciari. Ea usque vero, noſtra aetate in-

crementum cepit, quod nemo ſere amplius dubitet, utrisque morbis, iisdem pharmacis nos poſſe mederi. Eam difficultatem ego quidem ſolvere non audeo, qui fiat, ab eodem ſtimulo materiali, mox oriri dolorem, mox vero ſpasmum. Iſtud, repeto, nequeo explicare nec audeo. Adeo verum tamen eſt, quod in libris pathologici argumenti capitum inſcriptiones mutare poſſis, et caput quod de doloribus agit, inſcribere poſſis, caput de ſpasmis, et v. v. Idem enim cauſſarum recenſus in utroque capite redit, modo velit quisque, attento ſatis animo, quotquot exſtant libri pathologici, legere. Etenim cauſſarum enumeratio quae in capite ſuper ſpasmis legitur, redit quoque in capitibus omnibus, quibus dolores omnis generis pertractari ſolent. Aliud argumentum proximioris cognationis dolorum et ſpasmorum omnium praebet uſus pharmacorum utrisque

ſalubrium. De omnibus hoc affirmare nolo, ſed de quibusdam. Uſu enim antimonialium, mercurialium eorum qui ſeri acrimoniam corrigunt, ſpiſſos humores attenuant, eliminantium omne genus dolorum et ſpasmorum profligatum fuit ſaepe, teſtimonio fide digniſſimorum obſervatorum. In duas claſſes vulgo diſpesci ſolet indoles ſpasmorum et convulſionum, quarum prima complectitur, quae agnoscit fomitem materialem, qui congruis pharmacis eliminari debet; altera, quae a ſolo exceſſu ſenſibilitatis et irritabilitatis oritur, ubi nulla evacuatio locum habet, quae nempe potius morbum auget, quam ut minuat, et in qua minime iuvant heroica incidentia, cum incidendum nil adſit, ſed nimia mobilitas nervorum et musculorum princeps cauſſa cenſenda eſt, quae non melius tollitur, quam antiſpasmodicis ſic dictis, ſopientibus, ne opio quidem excepto,

cuius uſum rectum laudo, minus rectum vero, probare non poſſum.

§. 10.

Vertiginis, Apoplexiae, Epilepſiae, Melancholiae, Maniae, Convulſionum, et omnis generis Delirii arctior nexus.

Hi morbi autem, ſi ſymptomata ſpectes, multa communia habent. Laeſa enim eſt mentis facultas, motusque voluntarii ſic dicti, pro libero arbitrio exerceri nequeunt. Mentis autem turbatio, motusque impedimenta, communem cauſſam agnoscunt. Idemque dicendum eſt, de morbis omnibus ſingulisque, de quibus hac paragrapho eſto ſermo. Vertigo eſt ſaepe apoplexiae praecurſor, melancholia apoplexiae ef-

fectus. Auctores ſi evolvimus qui obſervationes collegerunt, ex cadaveribus eorum, qui vel Apoplexia, vel Mania, Melancholia, Epilepſia obierunt, ubique invenimus, eundem cauſſarum recenſum. Huc pertinent, quae viri egregii, BONNETUS, MORGAGNI, WEPFERUS, HALLERUS, GREDING, aliique, annotarunt, atque nobiscum communicarunt. In ſingulis recenſitis morbis, idem redit repeto, cauſſarum recenſus, ut dubius anceps haereas, quaenam ſit verior morbi huis illiusve morbi cauſſa. Hoc vero meum effatum non eſt, ſed HALLERI, viri ſummi, cum in Relationibus Gottingenſium GREDINGII librum, aequa lance expenderet. Frequentius etiam in explicandis morborum cauſſis definiendisque, vitium ſic dictum ſubreptionis committi ſolet. Sed mittamus haec. Licet haud raro peccare ſoleant in dignoscen-

dis morborum cauſſis, quorum natura et indoles abſtruſa eſt, hoc tamen fide obſervatorum certum eſt, in cerebro hominum, qui apoplexia, melancholia, mania, epilepſia, obierunt, ſibi ſimillima vitia reperta fuiſſe. Hoc volo, communem eſſe medendi rationem quandam omnium ac ſingularium morborum, de quibus hic ſermo eſt. Quae vaſorum capitis nimiam plenitudinem ſubito tollunt, quae caput verſus congeſtionem minuunt, revellunt, quae atram bilem, aut flavam, illic eliminant, praecipue cenſeo pharmaca et auxilia. Non morborum ſchema, typusve in artis exercitio, attentionem mereri, centies repetendum eſſe indico.

§. 11.

Phthiſeos cum omnibus fere morbis affinitas.

Arthritidis anomalae, aut larvatae, ſic enim appellant medici, optimam dedit deſcri-

ptionem MUSGRAVE, Phthiſeos autem MORTONUS. Licet enim ſeriori tempore acceſſerint multa, quae antea nondum inventa, detecta, non tamen ideo contemnenda ſunt, quae ſuo tempore, de phthiſi MORTONUS ſcripſit. Nullum febrium genus, nulla haemorrhagia, aut alvi excretio morboſa, ſeu, ut verbo dicam, excretio nimia, quorſum pertinet lactatio nimis diu pertracta, puerperium nimis frequens, veneris exceſſus, caet. nullum genus cachexiae occurrit, cuius effectus non aliquando ſit phthiſis ex toto habitu. Ab omni retentione excretionum, quae in ſtatu ſano contingere debent, non minus pthiſis ſolet oriri. Dolor etiam diuturnus, ſpasmus vehementior, per periodos recurrens, vires corporis exhaurit, et tabem ac marasmum infert. Omnis tabes viſcerum, laxitas, induratio, infarctus, ſcirrhus, ſuppuratio, phthi-

ſcos cauſſis adnumerantur, idque iure meritoque, unde ſatis abunde patere arbitror, nullum exiſtere morbum, cuius in pathologia mentio fit, qui non habeat affinitatem cum phthiſi, et in eam degenerare poſſit. Ex his vero dictis, elucescit, quam vana ſpes ſit, quam vulgo a ſpecificis ſic dictis expectum, medici et medicaſtri, rudes in ſtudio pathologico.

§. 12.

Hydropis, Tympanitidis, Icteri affinitas.

Hi morbi tres, ſi qui unquam, tantam inter ſe habent affinitatem, ut maior cogitari nequeat. Aliquando hydrops tympanitidis eſt

praecurſor, alias vero tympanitis hydropis. Icterus eſt ſaepe morbus protopathicus, et paulo poſt ſequitur tympanitica imi ventris inflatio, et tandem Hydrops. Et hoc mirum non eſt, nam hi tres morbi, arctiori vinculo inter ſe connexi, plerumque naſci ſolent a cauſſa communi, ſpasmo nempe, inflammatione, viscerum obſtructione, compreſſione vaſorum ſanguiferorum, ſerolympaticorum, aut bilem vehentium, aut ab inſpiſſatione ſanguinis, ſeri, lymphae, bilis. Aliae cauſſae, ſunt haemorrhoidum, menſium retentio, criſis imperfecta, metaſtaſis, nec non exanthemata retropulſa, cum acuta tum chronica. Facili itaque perſpicitur negotio, unius morborum tranſitum in alium, nihil aliud eſſe, quam quod medicis GRAECIS, STAHLIO, recentiori aetate *metaſchematismus* audit. Morbus faciem aliam induit, ſed manet idem, et ſchema morbi novum, non temere

debet

debet medentuum. Intrepido is potius eſto animo, et reſpiciat ſolummodo cauſſas, quibus effectum eſt, ut idem morbus in alium mutatus ſit.

§. 13.

Concluſio.

Quum argumentum, quod explicandum exegi, per omnia capita perſequi non poſſim, ſufficiat mihi, exemplis nonnullis probaſſe, ſtudium iſtud cognationis morborum, princeps eſſe deberi, medentis. Qui hanc doctrinam ignorat, perpetuo in artis exercitio, dubius anxius haeſitabit, novum morbum novis pharmacis aggrediendnm eſſe, perperam cenſebit. Certe ſimpliciſſima eſt medendi ratio, modo calleat vir doctus et peritus, univerſam doctri-

mam de morborum cognatione, atque tranſitum frequentiorem morbi unius in alium, quam experientia docuit, ratio vero cauſſas illius morborum mutationes explicuit.

FINIS.

CANDIDATO DIGNISSIMO

S.

E. G. Baldinger.

De TUA *etiam laetor felicitate! Ingenium docile* TIBI *a natura datum. Diligentiſſimum, discendi cupidiſſimum, adſiduum, optime moratum,* TE *novimus omnes, atque amavimus. Accipe nunc lauream diligentiae atque virtutis* TUAE. *Scholae noſtrae marburgenſis, meique, qui* TIBI *amiciſſimus, quique* TIBI *quaevis fauſta ex animo precor, in poſterum etiam ſis memor. Scrb. Marb. d. 24. Sept. 1790.*

COLLECTIO I.

BRENNER, Dr. E. G., *de fallacia ſignorum graviditatis.*

BUCHHAVE, Dr. Rud., *de Gei Urbani vtilitate in febribus.*

GEMPT, Dr. J. H., *de Herpetis naturae atque cauſis.*

MEYER, Dr. B., *de Mercurialium in Morbis venereis actione et uſu.*

RODSCHIED, Dr., *de utilitate ſtudii botanici.*

SCHWARZ, Dr. F., *de quaeſtione Lotii ſuppreſſione unde?*

SPIELMANN, Dr. H. E., *de morborum cognitione.*